

[illegible]
[illegible] 50
[illegible] 50

LIBER ROSARII VIRTVTVM, ET VITIORVM


CAEPTVS A DOMINO SPARANO Barensi antiquißimo Iureconsulto, nunc perfectus studio Clarissimi I. V. D. Do. Abbat. Paul. Fusc. Rauellensis, in quo quanta tractentur, INDEX capitulorum demonstrat.





CVM PRIVILEGIIS.







VENETIIS, Apud Iacobum Anellum de Maria, & Ioannem Comenzini. M D L X X I.

ILLVSTRISS.[mo] ET REVER.[mo]
D.D. Iulio Antonio Sanctorio
S. R. E. Card. Amplisſ.

Abbas Paulus Fuscus. V. I. D.
S. P.







VM ad nos fama veloci allatum eſſet (Illuſtriſſ. atque Reuerendiſſ. Domine) te à Sanctiſsimo domino noſtro Pio V. Pont. Max. ad hoc ſacrum Cardinalium Collegiũ aſcitum fuſſe, laudes, gratiaſq. Deo dedimus, qui faxit, vt ipſe ſapientiſsimus Princeps ad Neſtoreos annos deue-

niat, cuius motu proprio, tu, qui tantis annis Ecclesiæ seruiueras, dignus eras ad tantum dignitatis culmen ascendere, si enim aliquis ex uirtutibus ad dignitates, honoresq. trahendus fuisset, quis te doctior? quis te moribus, uita, sanctitate, atq. zelo honoris Dei Illustrior? aut præstantior? quis tam contra hostes fidei seuior aduersarius? ut non dubitaueris etiam periculum uitæ subire (testis est ipsa Parthenopes me uidente) quis deniq. te in utroq. iure excelsior? gaudendum est profecto nostrã ætatẽ talem prælatum habere, quem omnes intueantur, ut qui tantis sit præditus uirtutibus, qui etiam (ut unico uerbo concludam) nomine, req. sanctus sit, ego autem, ut antiquus tui studiosissimus non potui,

quin non multum gauderem, & ipsi Ecclesiæ tantum uirum esse, qui toti Christianitati profuturum sit, & mihi ipsi, quod compos mei uoti fuerim, quod multo elapso tempore te in hoc sacro collegio connumerauerim, idq. tanti fuit in me (Illustriss. Domine) ut nunquam memor sim tam libenter libros uoluisse, ex quibus quid detraherem, ut congratulationis munere apud te fungeretur, atq. qui te carum consequutus patronum, non sim ultimus, qui compaream: Accipe igitur de Virtutibus, atq. de Vitiorum detestatione tractatum antiquissimi Sparani Barensis authoris, ipsum quidem à me completum, auctum, alioq. ordine transcriptum, cum primum poterat obici illud


Ambroſij (referente Baldo) non eſ-
ſe perfectæ cognitionis ignorare or
dinem procedendi, in eo enim quã
tum in me fuit, uirtutes ampliaui,
cum per ipſas, quæ ſunt Dei manda-
ta, obſeruentur, ſaluſq. animarum
eueniat, nam anima (teſte Sapiente)
diruitur remotis uirtutibus, quæ, &
uiuentibus, & mortuis ſtabiles ſunt,
hic enim poteſt quiſque & imitari,
quod decet, & fugere, quod opor-
tet, ex eiuſque lectione alacrior red
datur ad earum imitationem, ut
utar verbis Maximi illius Valerij
lib. 2. qui uerô de noſtris literis be-
ne ſentiunt, iudices erunt, quantum
emolumenti afferant his tempori-
bus hæ noſtræ lucubrationes: quic-
quid tamen ſit, hæc unum in me erit
bonum quod tu clarè cognoſces,

quanto ſtudio, quantavè reuerentia tuum clariſsimum nomen proſequar, in quo (Ampliſsime Cardinalis) unum uelim conſideres. uoluntatem offerentis, non paruitatem muneris, nam maximi Principis eſt (ſcribente Plinio ad Traianum) & magna largiri, & parua benigne accipere, quod ut facias, ſupplex iterum, atque iterum rogo, ſic enim quem ſemel amare cæpiſti, non deſines, & animum meum ad maiora ſcribenda allicies. Vale felix ad longos annos Rauelli. xvij. cal. Iulij à Chriſto nato. M. D. LXX.


quanto studio, quantaue exercen-
tia cuius clarissimum nomen prose-
quar, in quo (Amplissime Cardina-
lis) utique uelim consideres, uolun-
tatem offerentis, non paruitatem
muneris, nam maximi Principis est
(scribente Plinio ad Traianum) &
magna largiri, & parua benigne ac-
cipere, quod ut facias, supplex ite-
rum, atque iterum rogo, sic enim
quem semel in iure cepisti, non desi
nes, & animum meum ad maiora
scribenda allicies. Vale felix ad
longos annos Rauelli. xvij. cal.
Iulij a Christo nato. M. D. LXX.

AD AMPLISSIMVM Cardinalem Sanctorium.


CVrrant Pierides, curr\u0101t Heliconis alumnæ,
Quæq; colunt ſacras uel Cytheronis opes,
Adſit, & huc pelagus per longum uectus Arion,
Quisque ſuis mouit ſaxa, nemuſque iugis.
Sanctorij laudes pangant, cytharæque relaxis
Fibris altiſonum nomen ad aſtra ferant,
Non noſtrum diadema ſeclum fulgentius ullum,
Nec te ſanctorio ſanctius orbis habet,
Doctrina, ingenio, & clara uirtute nefandos
Dempſiſti latices, Hereticoſque truces;
Hinc te pro meritis debito redimiuit honore
Succeſor Petri quintus in orbe Pius,
Namque rubro cinctum pileo te ſponte uocauit
Tantorum in numerum, collegiumq; Patrum.
O poſſem plectrum dulci modulamine uocis
In laudes tantas ipſe mouere meum.
Te ferr\u0113 uſque canens terras, quo turbine uerſant,
Et Zephirus, Boreas, Eurus, & ipſe notus:
At rore Aonio, fontisque Aganippidos unda,
Non fluit, & noſtra eſt nec bene culta lyra,
Hoc igitur dimitto, quibus, uel Iuppiter omnes
Tradidit altiſonas plectro Heliconis opes.




AD LECTOREM.




PAstor, Arator, eques, natẽ uersare tenẽtur
Andinum, pecudes qui canit arua, duces,
Pelignũ pharetratus amor, nã quanta retorquet,
Tela docet scribit, quotque uel arma faces,
Qui cupit excultam sancto moderamine uitam,
Et seruare bonum, uel sine labe decus,
Huc ueniat, salubrique simul se condat in horto,
Et relegat uitae lilia, frãga, Rosas, (floret,
Paxq; , fides , probitas , superum hic reuerentia
Hic pereunt uitia, hic surgit honestus amor.
Ergo cœlorum graue non uideatur amicis,
Ex tot praeceptis nectere serta comes.



INDEX CAPITVLORVM, quæ in hoc Rosarij de Virtutibus & Vitij continentur libro.



Finis indicis capitulorum huius Rosarij omnium Virtutum, & Vitiorum.



VIII

DE COMMENDATIONE, Cultu, & obseruatione Iustitiæ, & præceptorum ipsius

Caput I.

IVstitiam colere summum bonum est in hac vita, per ipsam omnia reguntur, & sine qua nihil est factum, Reges per ipsam regnant, eaq; nihil perfectius, quod interroganti, dixit Agesilaus Rex, cum de fortitudine, iustitiaq; interrogaretur, quæ esset melior? nihil fortitudine indigemus, si iustitiæ inhereremus, virtutum omnium preclarißima, & dißerit phil. 5. Ethic. vt consultum fuerit Scipioni, se tamdiu regno feliciter vsurum, quòad iustitiæ tramites obseruauerit; vnde Iustitia secundum Vlpi. in.l.iustitia.ff.de iusti.& iur. est constãs, & perpetua voluntas, ius suum unicuiq; tribuens, & in §. iuris, quod iuris præcepta sunt hæc, honestè uiuere, alterum non ledere, ius suũ unicuiq; tribuere: Iuris prudẽtia est diuinarum, atq; humanarum rerum notitia, iusti, atq; iniusti scientia: & in.l.i.circa prin.eod. tit. inquit, Ius est ars boni, & æqui, cuius merito, quis nos sacerdotes appellet, Iustitiam namq; colimus,

boni, & æqui notitiam profitemur, æquum ab iniquo separantes, licitum ab illicito discernentes, bonos non solum metu pœnarum, uerum, & premiorum quoq; exhortatione efficere cupientes, ueram nì fallor philosophiam non simulatam effectam affectantes, hinc Gregor. in. c. cum deuotissima. 12. q. 2. summum in rebus bonum est iustitiam colere, ac sua unicuiq; iura seruare, & in subditos non sinere, quod potestatis est fieri, sed quod æqum est custodiri, & Imper. in autē. ut omn. obed. iud. circ. prin. col. 5. consi. 19. inquit, unam esse omnium perfectißimam uirtutum arbitrandum est hominibus, quæ iura omnibus distribuit, hæc est ex causa cognominata. Iustitia, etenim unaquaque aliarum uirtutū, nisi subsequantur huiusmodi bona, fiet nihil horum, quæ competunt: sæpe. n. in personis innumerabilibus ex impotentibus uidimus potentes procedere, ex non diuitibus diuites, in omni autem pæne loco, ex potētioribus proceßerunt inanes, ex diuitibus autem pauperes, dum patrum iniustitia sobolem est sequuta, & nō cogitant, neque reputāt, quoniam quod ipsi, quasi pro se machinantur potestatibus utentes, hoc forsan contra eos, qui ex eis procreantur, agunt nō eadem potentia sequente sobolemq; illos. & in auten. ut omn. iud. sin. quoq;. suffr. §. itaq;, col. 2. const. 2. itaq; Deo, & saluatori nostro omnes similiter offerant hymnos pro lege, quoniam eis

dat, & patrias habitare cautè, & proprias facultates habere firmißimè, & iudicum frui iustitia, nam propterea posita est, ut iustitiam, quæ in lege est ualeamus domino Deo uouere, & nosmetipsos, & nostrum commendare imperium, & non uideamus despicere oppreßos contra iustitiam, quos nobis tradidit Deus, ut ei per omnia pareamus, eius sequentes benignitatem, & in auten. de non elig. secu. nub. col. 1. const. 1. equalitatis enim, & iustitiæ sumus amatores, quoniam in omnibus uolumus obtinere, & maximè consortijs, quapropter qui nihil omnino dat, nihil omnino percipiat, & Isid. in. c. factæ. 4. di. factæ sunt autem leges, vt metu earum humana coerceatur audatia, tutaquè sit apud improbos innocentia, & in ipsis improbis formidato supplicio refrenetur audacia, & nocēdi facultas, & Gregor. ix. in proh. decret. lex proditur, ut appetitus noxius sub iuris regula limitetur, per quam genus humanum, & honestè uiuat, alterum non ledat, ius suum unicuiq; tribuat, informatur, vnde dicit Papi. in. l. i. ff. de leg. & sen. cons. quod lex est comune præceptum prudentium uirorum consultum, delictorum, quæ sponte, vel ignorantia cōtrahunt, cohertionis Reip. sponsio, quod uidetur sumptum ex translatione legis grecæ Demostenis, dum dicebat, quod lex est sanctio sancta, iubens honesta probibensq; contraria, & in. l. leges. C. de leg.

& const. leges sacratißimæ, quæ constringunt hominum uitas, ab omnibus sciri debent, ut uniuersi præscripto earũ rerum manifestius cognito, & inhibita declinent, & promißa sectentur, & legitur in eadem translatione græca, quod lex est, cui homines decet obedire, per multa, & maxime, quia omnis lex est inuentio, & donum Dei, dogma autem hominum sapientum, correctio uoluntariorum, & non uoluntariorum peccatorum ciuitatis, compositio communis, secundum quam omnes decet uiuere, qui sint in ea, quia legis uirtus hæc est, imperare, uetare, permittere, & punire, l. legis uirtus ff. de leg. & sen. conf. & in l. fi. C. de prescr. long. tem. post maiores subtilisſimo animo, & diuino quodam spiritu moti ad actiones, & earum iura peruenerunt, inde subdit tex. in l. i. C. de cust. reor. quòd in quacunque causa reo exhibito, siue actor existat, siue eum publici sollicitudinis causa produxit, statim debet iustitia fieri, ut noxius puniatur, innocens absoluatur, nec licitum sit ministris crudelitatem suam accusatoribus uẽdere, & contra iustitiam innocentes inter carcerum scepta retardare, & in. l. de hijs. eod. tit. de hijs quos tenet carcer inclusos hac aperta diffinitione sancimus, ut aut moriendos uelox pæna submoueat, aut liberandos custodia diuturna non maceret, quod demonstrauit Innoc. 3. in. c. nouit. §. forsan de iud. scriptum esse in lege diuina, ita

magnum iudicabis, ut paruum, nec erit apud te acceptio personarum. Vnde inquit Sen. quid est iustitia, nisi diuina lex, & uinculum societatis humanæ, quisq; hanc sectari desideras, tunc Deũ prius, & ama, vt ameris à Deo, amabis enim Deum, si illum in hoc immitaberis, ut uelis omnibus prodeße, nulli nocere, certi sunt domitores ferarum, qui animalia sæuißima mitigant, sapiens artifex est domandi mala, quid agit sapiens, qua ut meliores se quotidie faciat, hoc Deus ab homine exigit, vt prosit multis, si potest, si minus paucis, si minus proximis, si minus sibi, nam cum se utilem cæteris efficit, commune negocium gerit, quomodo, qui se deteriorem facit, non sibi tantummodo nocet, sed & omnibus, quibus melior factus, prodeße poterit, quod etiã retulit idem Innoc. in c. à nobis. lo2. de sent. ex comu. dicens iudicium Dei, veritati, quæ nec fallit, nec fallitur semper innititur, iudicium autẽ hominis, nonnumquã opiniones sequi, & fallere contigit, & fallit, & patet ultimo ex versibus Claudiani. Seneca

Iustitia utilibus rectum proponere suadet, Claud.
Communesq; sequi leges, iniustaq; numquam,
Largiri sotijs,
Esse, sed iniustum fateor, quodcumq; negatur
Iustitiæ, prima hominem siluestribus antris
Eligit, & fero detegit sicula uultũ,
Hanc propter colimus leges, animosq; ferarũ,

Exuimus nitidis, hanc, quæ sensibus anxiat,
Irruit intrepidis flammis, hiberna secabit
Aequora: confertos hostes superabit inermis
Ille per ethyopum pluuijs solabitur æstus,
Illum trans Sithium uernus commutabitur aer,
Et iustus, qui cum prius sit, commißa negare
Maluerit, nullo uiolatus reddere quæstu. &c.

Debemus iusta, & licita postulare, & hijs, quæ iusta sunt tantum annuere. Cap. II.

Postquã dictũ est de iustitia, cuius uirtute mirabilis cupiditatis conatus illicitus virtuose reprimitur, & appetitus noxius sub iuris regula limitatur, per quam per honestæ vitæ decorem, quantum ad seipsum per innocentiam, quæ non ledit alium, quantum ad proximum per debitæ innocẽtiæ famulatum, cum unicuiq; reddat, quæ sua sunt, quantum ad Deum dirigitur humanus affectus, pariter & effectus, ordinatè rubr. sequitur, debemus iusta, & licita postulare, quia qui iustus est, nullatenus postulabit iniusta, alioquin professio sua, & desiderium suum satis ineptè, nec minus informiter inter se discreparent, ut alias dicit lex. in.l. professio: C. de muner. patrim. li. x. sic eum oportet sacras ius-

ſiones habere pre manibus, quod ipſe clementisſi mus princeps, generalibus legibus conſtituerit. c. diceti. 25. q. 2. illa recepta uniuscuiuſcunq; ſupplicantis deſiderio conceſſa preualere, & effectui mancipari debere, quæ iuri, & legum intentioni concordant, ea uerò, quæ ſubreptione falſis precibus forſitan impetrantur, nullum ſupplicantibus ferre remedium: ſic & Gregor. in. c. cum pie. ead. cauſ. et q. cum piæ deſiderium uoluntatis, & laudandæ diffinitionis intentio iudicialibus ſit ſemper ſtudijs adiuuanda, cura eſt ſollicitudinis adhibenda, ut ea, quæ pro quiete religioſæ conuerſationis ſunt diffinita, ſiuè diſpoſita, nec ſimulatio negligere, nec ualeat quædam præſumptio perturbare, ſed ſi hoc, quod ratio exigebat, utiliter obtinuit diffiniri, itaq; quod diffinitum eſt, non debet iniuſta petentium damnanda cupiditate conuelli, cum amputato totius uſurpationis exceſſu, nullus preſumat, quæ non ſunt licita, poſtulare, quæ uerò ſunt ſalubriter conſtituta, nulla deſidia negligātur, nulla diſſenſione uiolentur, nulla contractione turbentur. c. amputato. 25. q. 2. et in. c. priuilegia. ead. cauſ. & q. ea, quæ ſunt ſacris canonibus inſtituta, & uenerabilis Synodi confixa decretis, nulla poſſunt improbritate cōuelli, uel nouitate mutari, & unuſquiſq; cognoſcat impetitionem eius rei, cuius eſt denegata petitio, niſi per obreptionem obtinuerit, ſibimet profuturam. l. fi. c. ſi quac.

pred. pot. quia si iusta ab imperio petiere, hæc accipiant, aut si non iusta querunt, velociter reuertantur, unde profecti sunt. §. mos quidem. in auten. quom. opor. epis. col. i. cons. vi. cum plerunq; non concedenda tribuant, propter inhiationem petentium inuerecunda, vnde in. l. nam ita. ff. de adoptio. quod desideras, utrũ impetrari debeat, existimabunt iudices, adhibitis etiã hijs, qui contradicent. nam eorum petitioni annuendum erit, quorum postulatio non iniqua uidetur. l. & attilicinus. ff. de serui. rusti. pred. & singulorum desideria perpendere iudicem oportet: l. si quis. §. 1. ff. de lib. agno. quia fraus, & dolus ei patrocinari non debet, & falsus precator careat penitus impetratis. c. sedes apostolica in fine. de rescript. unde inquit imperator. in l. nec damnosa. C. de preci. imper. offer. quod nec damnosa fisco, nec iuri contraria postulari oportet, quia patienter substinet princeps, si non feceris, quod praua ei fuerit insinuatione subiectũ. c. si quãdo. de rescr. in extrauag. quia superfluũ est postulare, quod iam lege concessum est. l. 1. C. de thes. li. x. quia ut inquit Tullius de Amic. hæc lex in amicitia uiget, ut nec rogemus res turpes, nec turpia faciamus rogari. & Cato, quod iustum est petito, uel quod uideatur honestum. &c.

De commendatione legalitatis, & fidei. Caput. III.

POstquam dictũ est, quod debemus iusta, et licita postulare, quia proprie mandat hoc legalitatis, & fidelitatis edictum, qua totum hominem redemit, & uirtuose disponit, & quantum ad cor per appetitum innoxium, & quantum ad os per petitionem, & professionem honestam, & quantum ad actum per operationem decentem, sequitur uidere de commendatione legalitatis, & fidei, uir enim legalis, & fidus, meditatur honesta, loquitur uera, cõcessa simul operatur, & congrua, nec communionem secum in aliquo potest participare illicitam, cum in uno, eodemq; non debet dispar esse professio, & contraria cõtrahere nõ ualeant, uel coniũgere, unde inquit Augusti. in. c. in noua actio. 16. q. 7. quod fides, quando promittitur, & hosti seruanda est, contra quem bellum geritur, quanto magis amico, pro quo pugnatur, & si circumscribatur ab aliquo bene tamẽ de omnibus iudicat, qui fidem esse in omnibus arbitratur, hac igitur mẽtis suæ dote motus Iosue, ut crederet gabaonitis, testamentum disposuit, pacem dedit, confirmauit societatem, sed licet ipsorum simulatione circumscriptum postmodum se esse cognosceret, tamen

pacem, quam dedit reuocandam esse nõ censuit, quia firmata erat sacramẽti religione, ne dum alienam perfidiam redargueret, suam fidem sol ueret c. innocens. xxij. q. 4. quia omnia agi de bẽt cum ueritate non per aliquam calumniam, veracium enim (inquit Imperator in a uten. vt in pri. sacr. §. si autem) tantummodo sumus amatores & quæ contra fas gesta sunt, fructum calliditatis obtinere non possunt, cum huiusmodi commenta displiceant. l. dubium. C. de rep. & princeps, qui ueritatem colit, ea tantummodo uult in suis esse legibus, quæ rem ipsam obtine- ant. l. 1. C. de lati. liber. toll. & qui uertitatem coniiciunt causarum, non facile ad culpam ue niunt, si veritatem examinãt. in auten. vt def. sensu. in princ. cum bona fides, quæ in contra- ctibus exigitur, æquitatem summam desiderat, & male meritus publice, ut exemplo alijs ad deterrenda maleficia sit, etiam egestate labora re debet: l. bona fides: ff. depos. cum. n. de apici bus iuris disputare non conuenit, bona fide agi- tur. ff. mand. l. si fideiussor. §. quædam. cum ni hil magis bonæ fidei congruat. quam id presta- ri, quod inter contrahentes actum est: ff. de act. empt. & uend. l. ex empto, in princ. nec conue nire potest, nec illa quidem pacta seruãda sunt, ne ob res donatas, u el amotas ageretur, quia al tero pacto mulieres ad furandum inuitantur, al tero ius ciuile impugnatur: l. conuenire: ff. de

pact. dot. & unusquisq; quod spospondit suo impendio dare debet, quam diu id, quod debet in rerum natura est. ff. de oper. lib. l. quod ubi. nam si bona fide gesta sunt, seruanda utiq; sunt: l. cum plures. §. 1. ff. de admi. tut. Vnde Pomponius. in l. si quis stipulatus. §. fi. ff. de uerb. oblig. inquit, quod plerunq; idonei non tam patrimonio, quã fide, quoq; extimantur. & nequit esse iustitia, ubi sana fides non est, quia iustus ex fide uiuit. 28. q. 1. §. ex hijs itaque. imò quod non est ex fide, peccatum est. c. fi. de prescr. sic dicimus de accipiente depositum pecuniæ, quod improbe recusat solutionem eius competentem; ideo desiderium eius rationibus iuris non conuenit: l. desiderium. C. de postul. & cõtractus, qui ex bona fide oritur, nullatenus ad perfidiam retrahatur. C. depo. l. si quis. & boni serui fraudem fieri prohibebunt, nec dominos execrãtur; sed magis diligunt. l. lex quæ tutores. §. ante omnia, cum seq. C. de admin. tut. & in fideles licet nomen Christianorum sibimet imposuerint, uera tamen se Christianorum fide, & communione seperant, iudicio Dei semetipsos sub dignoscentes. in auten. de priuil. do. circa med. quia nihil tã conuenit humanæ fidei, quam ea, quæ conuenere homines seruare: l. 1. ff. de pact. & gratuitam, integram, & abstinentem omni lucro prestare fidem debent l. quæ sine. ff. de neg. gest. & qui bonæ fidei possessor est, nulli querelæ subditus est,

l. si quis possessio. §. sicut. ff. de pet. her. & in l. si à domino. §. si prædo. eod. tit. qui dolo desiit possidere, cum predo sit, ita condemnatur, ac si possideret, & non est dubium, quin non debeat melioris esse conditionis, quàm bonæ fidei possessoris, nam bonæ fidei, & innocentis uiri fungi officio quemquam oportet. ff. fam. herc. l. cæterum. §. 1. & fauet naturali æquitati, qui constituta ex consensu facta custodit, quoniam graue est fidem fallere. l. 1. in princ. ff. de cōst. pec. quia in inficiatione depositi crescit perfidiæ crimen, & publica utilitate cohercenda est uindicandæ reip. causa, est enim inutile in causis huius fidem fallere. ff. de pos. l. 1. §. cum unde dicit Seneca, fides sanctissimum humani pectoris bonum est, nulla neceßitate ad fallendum cogitur, nullo corrumpitur premio, Vre, inquit, cede, occide, non prodam, sed quo magis secreta quæret, tortor, hæc illa celato: alterius quondam maximū maioribus nostris cælum fides fuit, ex quo pluriores, paucæ susceptæ, quam bello gentes deuictæ sunt: Vtinam nulla stipulatio emptorem uenditori obligaret, nec pacta, coniunctaq; in præmißis sigillis custodirentur, fides prius illa seruaret, ut æquū colens animum, qui decipiunt, nihil habent solidi, tenue est mendacium, & perlucet si diligenter inspexeris, quedam falsa ueri specie ferunt, dandum est semper tempus, ueritatem dies aperit, una fraus omnem fidem tol

Seneca

lit, una ignominia omnes honores extinguit, & confirmat Tullius, fundamentum stabilitatis & constantiæ fides est, non enim stabile, quod infidum est. Et Claudianus describens inquit

Corde tenes, delubra fides se se omnibus aris Claud.
Inserit, atque decet nullo liuescere fato:
Nūquā falsa loquens, nūquā promißa morari,
Inuisos odisse palam, nec uires in alto
Condere, nec letam speciem premittere fraudi,
Sed gratum menti parem ostendere uultum
Occulto seuire uetat, seuire remittit,
Hæc, & amicitias post longo tempore firmat,
Mansuroq; adamāte ligat, nec nobilem mutat,
Ingenium paruo strepitu, nec uincula nexu
Dißolui patitur, nec fastidire priorem
Allicitur ueniente nouo, benefacta tenere,
Respuere offensas facilis, pariterq; minoris
Officij, magniq; memor, superare laborat
Vtique hostes, armis mentis sic uincit amicos,
Hæc fouet absentes, hæc longe sola remotis,
Consulit, hæc nulli auidam rumoribus aulam
Pandit, ut ignarum numquam lesura clientem
Insidiosa suos alienat murmura sensus,
Nec unus annexus amor meminisse sepultos:
Et Ouid. in epist. meminit & alibi dū inquit
Non bene mactato celestia numina gaudent, Ouid.
Sed quæ præstanda est, & sine teste fides
Accipit ara preces, uotiq; thura piorum

Non bene celestes impia destra colit,
Pius labor est puram non temerare fidem.
Et Lucanus.
Lucan. *Ardua quippè fides robustos exigit annos. &c.*

De religione, & quales debeant esse religiosi. Caput. IIII.

P*Ostquã dictum est de commẽdatione legalitatis, et fidei, quæ mater religionis existit, suosq; cultores religiosos efficiens, sub certæ regulæ preceptis astringit, ut totius fragmenti corruptione semota, sensualitatis, ac secularitatis resecatis excessibus, qui legalitatis, fideiq; fulcimine munitur, purus idem simplex omni conditione temporis, omni status qualitate, lociq; diuersitate permaneat, non sublimis in prosperis, non depressus in aduersis, sicuti manus, quæ eadem est, & cum in pugnum constringitur, & cũ in palmam extenditur in amicis non fortunam, sed uirtutem potius eligens, ut & pauperes ueneretur, si fuerint uirtuosi, miserosq; non negligat ipsos propter se, non propter sua uincula charitatis amplectens, nec iam in pauperibus paupertatem attendens. 16.q.1.c.vltimo, ideo sequitur ordinatim videre de religione, & quales debeant esse religiosi, quod demonstrat imperator in auten. de monach. circa princ. coll.1. cõst.*

6.dum inquit,conuersationis monachalis uita sit honesta,sic commendare nouit Deo ad hoc uenie tem hominem,ut omne quidem humanam eius malitiam detergat, purum aute declarat, ac rationabili natura decentem, & plurima secu dum mentem operantem,& humanis celsior est cogitationibus, si quis ergo futurus est monachus perfectus indiget,& diurnorum eloquioru eruditione,& conuersationis integritate, ubi tata dignus factus sit mutatione, hoc agendum est eis,ut detractores seueros ad sacram uiam constituant,cum stricta ratio habeatur,quæ numqua in ambiguis religionum quæstionibus committi solet,nam summa est ratio, quæ pro religione facit:ff. de reli. l. sunt personæ, & in auten. tit. prædicto.§.cogitandum est,quomodo ipsos habitantes, & degentes, monasticæ philosophiæ certatores dignos esse ostendamus, uolumus .n. ut non seorsum, & apud semetipsos,sed in communi testes alternatim sint honestatis,& castitatis, neque ipsum somnium desidiave habeant, si meditantes bonum ornatum propter increpationem aliorum respicientium, non inquietari decernimus migrantes ad communem omnium autem cælestem dominum,sed arripiantur in libertatem,& triennio simul expleto tempore iudicatur, qui monastica dignus est honestate,maneat in monasterio,nequaquam enim damus licentia ulli penitus perscrutari,quæ eius sunt, sed siue

seruus, siue liber sit, manere in conuersatione uolumus, nam, & si uitium in priori ab eo forte gestum est uita; humana enim natura quodam modo labitur ad delicta, attamen sufficit ad meliorem purgationem peccatorum, & ad uirtutis augmentu m triennalis temporis spacium testimonium. neque enim secundas habentes. in S. neque in auten. quom. oport. epis. aut eum, qui habuit nuptias ordinari permittimus, nec si cōcubinam habeat, sed et ipsam uxorem, si cum castitate, & uirginitate sit, nihil enim sic in sacris ordinibus diligimus, quā cum castitate uiuentes aut uxoribus non cohabitantibus, aut unius uxoris uirum, quæ si fuerit, uel sit, ipsam castitatem eligentem primum principium, & fundamentū manifestum secundum diuinas regulas, & residuæ uirtutis constitutam. & si cupis esse, quod diceris monachus, idem solus, quid facis in urbibus, quæ utique non sunt solorum habitacula, sed multorum quem senseris tibi, aut semper, aut sæpe de nummis loquentem institorem potius habeto, quam monachum. c. si cupis. 16. q. 1. & qui bonus monachus est adsit, ei sufficiēs continentia, nec desit instructio necessaria, uel personæ regularis integritas. c. legi episcolam. ead. caus. & q. & in c. monachus non decentis, sed plangentis habet officium, qui uel se, uel mundum legat, & dominum pauidus prestoletur aduenturum, & in c. placuit. nullus monachus

chus pro lucro terreno de monasterio exire ne-
phandissimo ausu presumat, sit claustro suo con-
tentus, quia sicut piscis sine aqua caret uita, ita
sine monasterio monachus, sedeat itaq; solita-
rius, & taceat, quia mundo est mortuus, Deo au
tem uiuit, agnoscat nomen suum, quia dicitur
monachus, idest testis, & unus sedeat, ergo testis,
& officio suo uacat & in c. sic uiue in monaste
rio, ut honore dignus esse videaris, multo tempo
re disce, quæ postmodum doceas, & inter bonos
semper sectare meliores, & in c. monachos. mo
rum grauitas, uitæ, ac fidei institutio sancta com
mendet. & in c. vos autem: si qua opera uestra
mater Ecclesia desiderauerit, non elatione aui-
da suscipiatis, nec blandiente desidia respuatis,
sed miti corde obtemperetis Deo, cum mansue-
tudine portantes eum, qui uos regit, qui dirigit
mites in iudicio, qui docet mansuetos uias suas,
non uestrum ocium necessitatibus Ecclesiæ præ
ponatis, cui parturienti si nulli boni ministrare
uelletis, quomodo nasceremur nō inueniretis. &
in c. sed nec procuratores. ex. ne cler. uel mon. si
quis contra doctrinam apostoli dicentis, nemo mi
litans Deo implicat se negocijs secularibus, secu
lariter uiuat ab ecclesiastico fiat ministerio alie
nus. quod pulchre describit Seneca dicens: sum Seneca
mum bonum est extrinsecus instrumēto non que
rit, domi colitur, quicquid te facere religiosum,
ac bonum potest tecum est. augustus animus est,

quem terrena delectant, si religiose, ac sancte uixeris, exemplo sexti uteris, qui cõsumato die, cum se ad nocturnam quietem reciperet, interrogabat animum suum, quod hodie malum tuum sanasti? cui uitio obstetisti? quam per te melior factus es? quid pulchrius hac consuetudine excutiẽda totum diem, qualis ipse somnus post illam recogitationem sequitur, quam tranquillus, quam alter, ac liber, cum sic collaudatus est animus; aut admonitus, & speculator sui, censorque secretus cognoscit de moribus suis, utor hac potestate, & quotidie apud me causam dico, totum diem mecum scru tor, facta, dictaq; mea rémetior, nihil mihi ipsi abscondo, uel transeo: quare enim timeam quidquam ex erroribus meis, cũ poßim dicere, uide, ne istud amplius facias, nec tibi ignosco. & sequitur Claudianus, dum prosequitur suis uersibus.

Claud. Hæc mandat, seruare modum, finemq; tenere,
Naturamque sequi, paruoq; producere uitam,
Nec sibi, sed toti genitum se credere mundo,
Hinc æpulæ uicisse famem, magniq; penates
Submouisse hiemem tecto, præciosaq; uestis
Irtam membra sine romano moregueritis
Induxiße togam, ueneris huic exulat usus
Ipsa quidem uirtus pretium sibi, solaque latet
Formidine secura nitet, nec fascibus ullis
Exigitur, plausuvè petit clarescere uulgi,
Nil opus extraneæ cupiens, nil indigna laudis

Diuitijs animosa suis, minoraq; semper
Casibus ex alta mortalia despicit arce,
Hac tamen in uita blande uestigat, & ultimo
Ambit honor.&c.

Bonum est ergo uouere religionem, cum plus mereatur, quã alius non uouens,& est opin.theo logorum,quam refert gl.in cl.prima in verb. se ipsum de reliqui.eruen.sant. Abb. & Fœly. in c.cum quidam de iur.iurand.&c.

De commendatione Castitatis. Caput. V.

POstquam uisum est de religione,& quales debeant esse religiosi,quia potentissimum, & substantiale bonum religionis est castitas,cuius Candor mirabilis, ac appetibilis pulchritudo,cum supra sui naturam uires humanitatis extollat,angelicæ puritatis decus exemplare uidetur, & eas supra quodammodo sub equalitate coniugem,quæ, & sola deo cum fiducia possibilis est hominum animas prestare . in auten. de lenon.§.sancimus coll. 3. const. pri. sequitur de commendatione castitatis, de qua loquitur Imperator. in d.§. sancimus.dum inquit,sancimus omnes quidem secundum quod prius castitatem agere,que, & sola deo animas præstat,si est pre sides pecuniarum,furtorum,& latrociniorũ da-

tores eligimus, quomodo multo magis castitatis furtum, & latrocinium eos cohercere permittimus, & sicut bonum est castitatis premium, ita, & maiori obseruantia, & præceptione custodiendum. c. i. 27. q. i. quia nuptiæ terram replent, castitas paradisum testis est Ambrosius relatus à grat. in c. nuptiæ. 32. q. i. vnde Imperator in l. si quæ. C. ad orfic. mulieribus ingenuis, & illustribus, quibus castitatis obseruatio praecipuum debitum est, nominari spurios satis iniuriosum est, satisque acerrimum, & nostris temporibus indignum iudicamus, & hanc legem ipsi pudicitiae, quam semper colendam censemus, merito dedicamus, & ab hijs feminis pudicitiae ratio requiratur, quae uiris nexibus detinentur, & matrisfam. nomen obtinent. C. de adult. l. quae adulterium. nam pudicitia uirtus est animi, comitemquè fortitudinem habet, potius quelibet mala tolerare, quam malo consentire determinat, nullus autem magnanimus, & pudicus in potestate habet, quid de sua carne fiat. 32. q. 4. c. ita ne. Vnde proposito animi permanente, per quod, & corpus sanctificari meruit, ipsi corpori non aufert sanctitatem, uiolentia libidinis alienæ, quæ seruat perseuerantia suæ continentiæ Lucretiam matronam nobilem, ueteremq; Romanam pudicitiæ, magnis efferri laudibus. huius corpore cum uiolentus Tarquinij Regis filius libidinose potitus esset, illa scelus improbis-

ſimi iuuenis marito, & propinquis indicauit, illoſq; ad uindictã conſtrinxit, verum fœdi commiſſi ſceleris in ſe, egra, atque impatiens ſe peremit egregie, quidam de hac, & ueraciter exclamans ait, mirabile dictu, duo fuere, & adulterium unus commiſit. c. propoſito. 32. q. 5. & de pudicitia quis dubitat, quin ea ſit in animo cõſtituta quæque uera uirtus eſt, à uiolento ſtupratore, nec eripi poteſt ipſa, nã corpus mulieris non uis maculat, ſed uoluntas, ſicut enim nemo impudicitiæ utitur corde, niſi prius ſpiritus cepta nequitia, ita nemo pudicitiam ſeruat in corde, niſi prius ſpiritui inſita caſtitate. c. de pudicitia. ead. cauſ. q. 4. & 5. c. ad Deum. quidquid in ea nec commiſit, nec permiſit libido patientis ſolius erit culpæ facientis. omnis illa uiolentia non pro corruptionis libidine, ſeu turpitudine, ſed pro paſſionis uulnere deputabitur, tantum enim ualet in mente integritas caſtitatis, ut illa non uiolata, nec in corpore poſſit pudicitia uiolari, cuius membra potuerunt etiam ſuperari, nam non poteſt corpus corrumpi, niſi prius corruptus animus fuerit, munda namque à cogitatione anima caro non peccat, quia illa eſt cõtinentia, nunquam tranſgredi non poteſt neceſſitas debilitatis corporis, ſed quam complectitur voluntas ſancti propoſiti. c. ſicut enim ead. cauſ. & q. & nec ſolo tactu, & affectu, ſed aſpectu quo appetitur, & appetit concupiſcentia feminarũ,

nec dicatis uos habere animos pudicos, si habetis oculos impudicos, quia impudicus oculus impudici cordis nuncius est, & cum se inuicem sibi, & tacente lingua conspectu mutuo corda nuntiant impudica, & secundum concupiscentiam carnis, alterutro delectantur ardore, & intactis ab immunda voluntate cordibus fugit castitas ipsa de moribus, sic August. in c. nec solo. prædicta. caus. & q. & in c. omnis. q. 7. hanc virginitas confert beatitudinem, quia nulla carnis lege retinetur, quia concupiscentiam nesciebat apostolus, à qua omnia mala oriuntur, & bona est lex, quæ, dum concupiscentiam prohibet, omnia mala prohibet. c. nam concupiscentia. ex. de constit. unde dicit tex. in l. nō aliter. ff. de usu. & habit. non aliter mulier hospitem recipere potest, quam si is sit, qui honeste cum ea, quæ usum habeat, habiturus sit, Hinc Alanus in li. de conquestu nat. Hypoliti castitas numero uallata constantiæ, nouercalis luxuriæ oppositionibus institit refellendo, Lucretia fracti pudoris dispendium mortis inclusit compendio, & Fictitius inquit

Rebus in humanis tria sunt dignissima laude,
Vxor casta, bonus socius, sincerus amicus. &c.

De commendatione matrimonij, commodis, & indissolubilitate ipsius. Caput VI.

Postquam dictum est de commendatione castitatis, cuius integritas sui cultores specialis honoris in signo decorat, sine cuius consortio uita deturpatur humana, totiusq; uirtutis uilescit authoritas, sequitur uidere ordinate de commendatione matrimonij commodis, & indissolubilitate ipsius, quod matrimoniale fœdus cœlestis opificis stupenda subtilitas ad humanæ salutis auxilium clementer, & prudenter instituit, quasi cuiusdam excellentiæ prerogatiua precipuum, per quod ex perpetuatione formarum per propagationem sobolis damnum, quòd à primordio rationabilis charitatem, terrarum, cœliq; sator inter Paradisi iocunda solatia, atque festiua ad multiplicationem humani generis artificialiter ordinauit, quod occasione religionis honestas inter sua recepit sacramenta, & gloriose nomine castitatis insignit, cum dicitur castitas est cum propria uxore concubitus. xxxi. d. c. in Nicena, ubi Pannuntius honorabiliter confessus est, nuptias esse, & castitatem. qui in ipso Concilio interfuit. lib. x. hist.

Eccl.cap. 4.qui id proposuit,licet nuptiarum esset inespertus.lib.ij.hist.trip.cap.xiiij.unde August.in c.nuptiarum. xxvij.q.i.dicit, quod ipsarum bonum semper est bonum, quod bonum semper in principio fuit,sed aliquando fuit legis obsequium, nunc est infirmitatis remedium, in quibusdam uerò humanitatis so'atium, quia corpore, & substant ia , & omni uita uxoris maritus fungitur, quis ergo earum non misereatur propter obsequia,quæ maritis præstāt , propter partus periculum, & ipsarum liberorum creationē pro quo in legibus iuncta sunt priuilegia. l.assiduis.C.qui poti.in pig.hab.& ideo cum puer adhuc infans existat, propter quod magis materno indiget solatio, quàm paterno, matri, quia ante partum onerosos dolores, in partu,& post partum laboriosos fuisse, nascitur, ac ex hoc legitima coniunctio maris , & fœminæ magis matrimonium, quàm patrimonium nuncupatur debet conuenientius. assignari,c.ex litteris.de conuer. infid. & utraque persona in hominum procreatione similiter naturæ officio fungitur.§.sed hæc. inst.de exher.lib. quia neque masculus ipse,neque fœmina solum ad natiuitatis propagationē sufficiens est,sed sicut cohartauit Deus ad generationis opus,ita utrisq; eadem seruatur equalitas. in auten.de trieu.& remis. post princ. & in auten.de nupt.inquit text. si enim matrimonium sic est honestum, ut humano generi uidea

tur immortalitatem artificij introducere, & ex filiorum procreatione innouata genera maneant iugiter Dei clementia, quantum est possibile nostræ immortalitatem donante naturæ rectè nobis studium de nuptijs est. Natura enim utrunque corpus edidit, ut maneat suis uicibus immortale, & alterum alterius auxilio augeat, & uno semoto alterum corrũpatur. C. de legit. her. l. lege xij. & idem Imperator in auten. de non elig. sec. §. nec enim, & §. optimum, nec pœnas aduersus mulieres, quæ ad secundas uiri ueniunt nuptias facimus, nec ex hoc eas ad necessitatem deducimus, amaram, & nostrorum temporum indignam, ut metu castarum nuptiarum licet secundæ sint, ab hijs quidem abstineant, & descẽdant ad quædam permixtiones interdictas, & forte, & ad seruorum corruptiones, & quoniam non licet legaliter caste uiuere circa leges luxurientur, optimum nanque est, atque laudabile, & dignum ratione, ut mulieres ita se honestè tractent, quatenus, quæ semel ad uirum uenere seruent inuiolatum moriẽtium thorum, & huiusmodi mulierem, & miramur pariter, & laudamus, & non procul à uirginitate ponimus, sin autem non ualuerit, cum forsan & iuuenis hoc non patiatur, nec possit contra feruorem naturæ resistere, non est torquenda propter hoc, nec interdicendæ sunt ei omnes leges, sed ad uiri alterius nuptias ueniat honeste, & omni luxuria

abstineat, in humanæ quidem expellitur à filiorum successione, frustra quidem pariens, frustra simul, & nutriens propter legales nuptias subiecta pœnis, & in auten. de nupt. felix si quidem, & beatus est uterque contrahentium perdurare in priori coniugio, quia nihil est hominibus utilius nuptijs, tanquam solis facere homines uolentibus, ea enim quæ conuenienter omnibus prosunt, hijs, quæ specialiter quibusdam utilia sunt preponuntur. §. sed ingemiscebat. in auten. de resti. & ea quæ. & c. quia res est castitate plena, & bonis moribus congrua. in auten. neque uir. quod ex dot. infi. & publicè interest dotes mulieribus conseruari, cum dotatas esse fœminas ad sobolem procreandam, replendamquè liberis ciuitatem maximè sit necessarium. l. i. ff. sol. matri. maiores nostri inter uirum, & uxorem donationes prohibuere amorem honestum, solum animis extimantes, famæ etiam coniunctorum consulentes, ne concordia precio conciliari uiderentur, neve melior in paupertatem incideret, deterior ditior fieret. ff. de don. int. uir. & ux. l. iij. & in l. si id quod. §. i. non tanquam inter infestos ius prohibitæ donationis tractãdum est, sed inter coniunctos, & maximo affectu, & solã inopiam timentes. nec cohitus matrimonium facit, sed maritalis affectio, & maximum, ac precipuum munus fœmineum est concipere, & seruare conceptum. ff. eod. tit. l. cum hic status. §.

mulier. Vnde Ambros. in c. pudor. xxxij. q. ij. pudor est fœminis nuptiarum premia non habere, quibus est sola causa nubendi, nam coniugij premium, & gratia nuptiarum partus est fœminarum, & in c. tantum. ead. caus. q. vij. Tantum ualet uinculum coniugale, cum causa procreandi colligitur, ut nec ipsa procreandi causa soluatur: Et non minor est pœna marito uxoris sobolis priuatio, quàm ab hostibus capi. in autē. de nupt. &c. quæ & consilij particeps assumi solet, cum à Deo data sit reuerentissima coniux. §. hic. in auten. ut iud. sin. quoque suffr. uxores nanque radijs maritorum corruscant. in auten. de consul. circa med. & contra reuerentiam receptam, quæ maritis exhibenda est, nihil faciendum esse apparet. ff. sol. matr. l. auia. nam quid tam humanum est, quàm fortuitis casibus, mulieris maritum, uel uxorem uiri participem esse. l. si cum dotem. §. si maritus. & in §. eo autē. leuis mulier, uel admodum inuenis nimia est circa maritum imminentem, nec processus ad secundas nuptias impediendus est, nam si hij qui gradu proximo ad uiduarum successionem uocantur, honestas nuptias impedierint, si huius rei suspicio processerit, eos lex ad successionem admittit, quos & si fatalis sors intercesserit, tamen hereditatis commodum peruenire non potest. C. de nupt. l. uiduæ. & nihil fraudis ei sit, quæ nuptias maturando uota sua diutius ludi

non passa est.C.de spons.l. ij. & potestas libera debet esse in contrahendis nuptijs. l.semper.ff. de rit. nup. quia non solum quod licet considerã dum est, sed quod honestum sit. Cuius amor adeo indiuiduus requiritur, quòd uxores habentibus, concubinas, uel liberas, uel ancillas habere, nec antiqua iura, neque noua concedunt.C. com.de man.l.fin. quia ideo coniugij datum est ius, ut in laqueum incidas, & cum aliena muliere delinquas.c.nemo. xxxij.q. iiij. audi scripturam loquentem ad Abraham, eijce ancillã, & filium eius.c.dicat ead. caus. & q. & Sap. c.iij.adulterorum filij abbominatio sunt Deo: nã merito uxor querimoniam habet, si maritum luxuriosè uiuentem, & cum alijs corrumpi prospexerit, quod maxime mulieres, utputa contra cubile stimulatas exasperat, & precipue castas: in auten.de nup.post med. & Christiana religio adulterium in utroque sexu pari ratione condẽnat, sed uiros suos non facile mulieres de adulterio accusant, nec habent latentia peccata uindictam.c.Christiana.ead.c.q.v. Vnde q.vi. ait Augustinus, si ducturi estis uxores, seruate uos uestris uxoribus, quales uultis eas inuenire, tales, & ipsæ uos inueniant, quis inuenis est, quin non uelit castam ducere uxorem, & si accepturus est uirginem, quis non intactam desideret, intactam queris, intactus esto, puram queris, purus esto, unde est illa potest, & tu non potes. ui-

de legem communem, paria delicta mutua com pensatione delentur.l. uiro atq; uxore. ff.de sol. matr.cum nihil iniquius sit, quàm causa fornica tionis uxorem relinquere, si,& ipse conuincitur fornicari, occurrit enim illud, in quo adulterum iudicas, teipsum condemnas, ea enim agis, quæ iudicas.xxxij.q.vi.c.i.& q.ij.c.quidquid, inter se coniugati immodestum, inuerecundum, sordidumve gerunt, uitium est, hominum, non culpa nuptiarum, in ipsa quoque immoderata exactio ne carnalis debiti, uel cum preter causam procreandi sibi miscentur, & si eos praui mores ad talem concubitum impellunt, nuptiæ tamen ab adulterio, seu fornicatione defendunt, uidelicet id propter nuptias admittitur, seu propter nuptias ignoscitur. Pecudes enim post conceptum non coeunt.c.non solum.ead. caus.q.vij. & 4.4. c.origo,& sunt uersus Ouid.de amore coniugali.

Non uenere externa socialia federa rumpas Ouid.
Turpe, uir, & mulier, modi iũcti, protinus hostes
Vlmus amat uitim, nec uitis deserit ulmum,
Et Lucanus.
Heu quantum mentes dominatur inequas Lucan.
Iusta Venus.
Cara est concordia formæ, atque pudicitiæ uisu sanctos
Inclita mores tradidere, coniux ueteres imitata Sabinas,
Este procul lites, & amare prelia linguæ.

Et idem Ouid. in arte, & fictitius.

Ouid. *Dulcibus est uerbis sanctus alendus amor*
Rebus in humanis tria sunt dignissima laude
Vxor casta, bonus socius, sincerus amicus.

Merito matrimonium dicitur indiuiduũ uinculum, ex institutione diuina, in quo sacramentum Ecclesiæ confertur, quos enim Deus coniunxit, homo non separet. l. diuor. c. gaudeamus, & ut sacramentum nouæ legis, gratia per ipsum confertur, licet gl. iuris canonici in c. quicquid. i. q. i. errauerit, & falsa sit, &c.

De reprehensione dilectionis immoderate erga uxorem, & quod abstinendum sit à consortio, seu frequentatione mulierum, propter ipsarum malitiam.

Cap. VII.

POstquam dictum est de commẽdatione matrimonij, commodis, & indissolubilitate ipsius, quia à recti specie quandoque decipimur, & uitia sub colore uirtutis obreptunt, licet coniugalis affectus si moderatus existat, ueræ laudis non priuetur honore, quia tamen omnis uirtus transit in uitium, si modum debitum transe-

at, condemnaturq; totius immoderationis excesſus & pleriq; ſub immodeſtæ dilectionis ardore matrimonialiter nexus honeſtatem reprehenſibiliter dehoneſtant, cum ſecundum ſexti ſententiam adulter iudicet in ſuam uxorem amator ardentior. 32. q. 4. origo. ſequitur, ut diſcurramus dicta de reprehenſione dilectionis immoderatæ erga vxorem, & quia in mulierum frequētia propter ipſarum malitiam non leue incurritur periculum, additur, quod abſtinendūm ſit ab earum frequentia, quia in corruptus non poterit permanere, qui corrupto adiungitur. 23. q. 4. quiſquis. & mus in pera, ignis in gremio, ſerpens in ſinu male ſuos remūnerat hoſpites. 13. q. i. §. ad hæc. item præcepit Deus, & qui ſerpentem in ſinu ſuo nutriret percuteretur ab eo. ut in eo. §. Vnde in alleg. c. origo. dicitur, origo quidem honeſta erat amantis, ſed magnitudo deformis, nihil autem intereſt ex qua honeſta cauſa quis inſaniat, quia in aliena uxore, omnis amor turpis eſt, in ſuam nimiam. ſapiens iudicio debet amare coniugem, non affectu. non regnet in eum impetus uoluntatis, nec præceps feratur ad coitum, nihil eſt fetidius, quam uxorem amare, quaſi adulteram certè, qui dicunt ſe cauſa reip. & generis humani uxoribus iungi, & filios procreare imitentur ſaltim pecudes, ut poſtquam uenter uxoris, intumuerit, abſtinent ne perdant filios, nec amatores ſe uxoribus præ-

beant se maritos. & quisq; rebus, etiam licitis immoderatius utitur, quam sese habeant homi num mores, aut intemperans, aut superstitiosus est, in omnibus enim talibus, non usus rerum, sed libido culpanda est, quod ergo locis, temporibus, & personis conueniat diligenter attendendum est, nam in omnibus hominum rebus, non ex earum rerum natura, quibus utimur, sed ex causa utendi, & modo utendi, uel probandum est, uel reprobãdum, quod facimus, c. 2. 41. di. & quod est in usu hominum bonum, ac licitum, vnde pro pter immoderationis excessum non possit perni ties irrogari. c. de occidendis. 23. q. 5. & ideo vir cogitat, quomodo placere possit uxori, & iã minus, quæ Dei sunt potest cogitare, cum quasi diuisus in duo plenam sui non habeat potestatẽ. c. diuersis fall. de cleri. coniug. unde nec soli ari des suas uxores amant. ff. de adult. l. si uxor. & quod præstet cum eis non conuersari, audi Hieron. hospiciolum tuum aut raro, aut numquam mulierum pedes terant, quia non potest toto corde cum Deo habitare, qui feminarum ex cessibus copulatur, femina conscientiam securn periti habitantis exurit, numquam de mulierũ formis disputes. femine nomen tuum nesciant, feminam, quam bene, uideris conuersantem, me n te dilige, non corporali frequentia, si bonum est mulierem non tangere, malum est ergo tangere, cap. antep. 32. di. & eum, qui probabilem disci

plinam

plinam ſeculo agit, decolorari conſortio appellationis non decet. quicunque ergo cuiuſcunque gradus ſacerdotio fulciuntur, uel clericatus honore decorantur, extranearum ſibi mulierum interdicta conſortia recognoſcant, ac eis tantũ facultatem conceſſam, ut matres, filias, ac germanas, intra domorum ſuarum ſcepta contineant; in hijs enim nihil ſæui criminis exiſtimare fœdus naturale permittit. illas enim relinquere caſtitatis arctatur officio, quas ante ſacerdotium per matrimonium legitimum habere prohibebantur. nec enim Clericis incompetenter adiunctæ ſunt, quæ dignos ſacerdotio uiros ſui conuerſatione fecerunt. l. cum probabilem. C. de Epiſ. & cler. licet ſint quædam mulieres, quæ ſicut animalia abſque diſcretione libidini ſeruiunt, quas ego nec mutis pecudibus comparauerim: pecora enim cum conceperint, ultro non indulgent maribus ſui copiam. xxxij. q. vij. c. non ſolum. mulieres autem miſeræ, & à malo ſeductæ pie agere ſe putant, ſi impie egerint, & cuſtodiant promiſſum illicitum, propterea ſuam proſternunt caſtitatem, cum oporteret agnoſcere, quòd huius transgresſiones magis placent Deo, quàm promisſionis obſeruationes, non enim ſi quis ab aliquo iuſiurandum accepit, quòd occidet forſan, aut adulterabitur, aut id aget tale illicitum, oportet ſeruari, utpote cum ſit in tẽpore, & illicitum, & ad perditionem ducens. In

auten.sceni. non sol.fid. in prin. & non est ignoscendum ei, qui obtentu paupertatis turpissimã uitam egit; Lenocinium autem facere, non minus est, quam corpore quæstum exercere.l.palam.ff.de rit.nup. & plerunque fœminæ consiliũ inuenitur laborare aduersus commoda propria. c. de sponf. l.si pater . cum fragilitate naturæ suæ in repentinam deducantur inopiam.c.de rei uxor.act.l.i.§.& cum lex : unde statutum est, quòd contra pudicitiam sexui congruentem alienis causis se immisceant, nec uirilibus officijs fungantur mulieres.ff.de post.l.i. §.sexum. & in l.Imperialis.C.de nupt. lapsus quoque mulierum, per quos indignam honore conuersationem imbecillitate sexus elegerunt, cum competenti moderatione subleuandos esse censemus, minimeq; eius specie melioris conditionis adimere, ut eam respicientes, improuidam, & minus honestam electionem facilius delinquãt, quia prouidentia amplissimi ordinis collaudatur, quasi opem tulerit mulieribus propter sexus imbecillitatem deceptis, & non decipientibus opitulatur, & est egregium scueritate responsum infirmitati enim mulierum, non calliditati auxiliũ congruit.ff.ad uell.l.ij.§.uerba. & facilius mulier se obligat,quàm alicui donet, cum auarissimum sit mulierum genus. eod.tit.l.si ego. quia ad hoc tantum natura eas progenuit, ut partus dent, & maxima in eis cupiditas in hoc est cõ-

stituta.l.ij.C.de iudit.uid.tol.c.pudor.xxxij.q.
v.hinc pulchre inquit Seneca: Quam inuenies
tam miseram, tamq; sordidam, ut illi satis sit
unum par amicorum, nisi singulis diuiserit horas, & non sufficit dies omnibus, nisi apud aliũ
die, apud alium nocte manserit. Et Iuuen.

Si iubeat coniux, durum est conscendere nauim
Tunc sentina grauis, tunc summus utitur aer,
Quæ mœchum sequitur stomacho ve, ut illa maritum
Commouit, hæc inter nautas, & prandet, & erat
Per puppim, & duros gaudet contrectare rudentes.

Et Ouid. in Epist.

Certus in uxoribus non est amor, errat, ut ipse
Cumq; nihil speres firmius esse fugit,
Est leuior folijs, tunc cum sine pondere succi
Mobilibus uentis, arida facta manet,
Quæ leuis assiduis solibus usta riget,
Et minus est in se, quàm summæ pondus aristæ.

Et Claudianus.

Dum iuuenile raro pulsatur ianua tactu
Seq; reformidat speculo degere senectus,
Stat tamen, atque alios subcingit pœna mistos
Dilectumq; diu, quamuis longeua lupanar
Circuit, & retinet mores, quos perdidit eius
Ille, uellerata degenerem in claustra latentem
Eliceret fletus diu, dum fingit amantis,
Indomitasq; mora, precioq; lenit auaras,
Lasciuasq; locis.

Et Iuuenalis iterum.

Iuuen. *Intolerabilius nihil est, quàm fœmina diues,*
Nihilq; est audacius illis deprehensis:
Iram, atq; animum mulier de crimine sumit:
Fortem animum prestant rebus, quas turpiter audent
Mulier seuissima tunc est,
Cum stimulos odio pudor admouet
Vindictaq; nemo potius, quàm fœmina gaudet,
Semper enim infimum est, cū exiguiq; uolūtas,

Similiter, & Ouid. de remedio amor.

Ouid. *Carpit. n. uires paulatim, uritq; uidēdo fœmina,*
Vt penè extinctum cinerem si sulphure tangas
Viuit, & ex modico magnus ignis erit.

Contra quas detestando earum malitiam cū bonas, quis se cogitat inuehit Fictitius in suis amenis uersibus dum loquitur.

Fictit. *Plurima, cum soleant mores euertere sacros,*
Altius euertunt, fœmina, census bonos,
Fœmina corpus, opes, animā, uim, lumina, uocē,
Polluit, annihilat, necat, eripit, orbat, acerbat
Fœmina fax sathanæ, fœtens rosa, dulce uenenū,
Semper prona rei, quæ prohibetur ei.
Fœmina nulla bona, & si bona contigit ulla,
Nescio quo fato, res mala facta bona: &c.

Mulier enim ornata secundum beatum Chrisostomum uenenum oculis aspicientium infundit, cum aliud non sit, nisi naturalis tentatio, desiderabilis calamitas, irrefragabilis pœna,

domesticum mali periculum, natura boni colore depicta, Ianua diaboli, uia iniquitatis, scorpionis percusſio, nociuumq; genus fœminarum eſt. quia mulier uirū efficit ſeruum. fuge quod tuum non eſt, & alienæ fœminæ ne adhereas, uix enim eſt, quòd non traharis, & animam cum corpore in periculum non ponas.

De procreatione liberorum, & de paterna pietate, ſeu materna erga filios ſuos, & de reuerentia, quæ parentibus debetur à filijs. Cap. VIII.

POſtquam dictum eſt de reprehenſione dilectionis immoderatæ erga uxorem, quia procreatio ſobolis, prolisq; fœcunditas bonum matrimoniale cenſetur, cuius reſpectu contrahit uirtuoſus honeſtè, necnon, & coniugali potitur affectu, quòd non ſolum notam reprehenſionis euadit, ſed, & titulum iucundæ laudis attollitur, ex quo ad procreandos liberos ducuntur, qui ipſis parentibus reuerentiam in uicem beneficij impendunt, eſt enim unum conſequutiuum alterius, ſi diligenter inſpicitur, quòd naturalis inſtinctus procreationem ſuadet liberorum, ut ff. de iuſt. & iur. l. i. ratio non inducit, ut contra eos

dulcis pietatis obsequium censeamus offerre, cum per eos nobis æternitatis memoriam relinquamus in euum.ff.de uerb. signi.l. liberorum. ad fi.tàm naturæ, quàm legis edictum filijs erga parentes reuerentiam mandat, unde dicitur, quod filius debet uenerari parentes.ff. de obseq. à lib.l.i.quòd honesta, & sancta persona patris semper colenda est filijs.ff.eod.tit.l.liberto. unde in c.obijcitur.xxxij.q.iiij. patriarchæ coniugibus excipientibus semen suum miscebant, nõ perfidie uoluptatis causa, sed prouidentia propagatæ successionis, sicut Apostoli auditoribus admirantibus doctrinam suam, non delectabantur auiditate consequendæ laudis, sed charitate seminandæ ueritatis, dummodo uerò matrimonio hoc fiat, nam inquit scriptura, quod sicut est sanctius mori fame, quàm idolatris uesci, ita sãctius est mori sine liberis, quàm ex illicito concubitu stirpem quærere, undecunque autem nascantur homines, si parentum uitia non sectentur, sed Deum rectè colant, honesti, & salui erunt, semen enim hominis ex qualecunque homine Dei creatura est, & eo male utentibus male erit, non ipsum aliquando malum erit.c.sicut.xxxij. q.ij.& in c.seq.cur queritur tale coniugium, de quo susceptus filius, nec successionis possit esse heres, nec sanguinis, nec poterit habere hereditatis consortium, qui non habet originis priuilegiũ sic non sunt facienda adulteria etiam uoluntate

filios procreandi, quemadmodum nec furta sunt facienda uoluntate pascendi pauperes sanctos. c, sic. ead. caus. & q. non tamen ferendum est, Iulianus ait, qui cum uxore sua assidue moratus, nolit filium agnoscere, quasi non suum. l. filium. ff. de his, qui sunt sui, uel ali. iur. quia nullus affectus extraneus ita inuenitur, ut uincat paternum. c. de cur. fur. l. fi. & quis ferat liberos à parentibus, à fratribus sorores, à uiris coniuges seperari, cum natura pater, & filius, hæc eadem eße intelliguntur, & repentini casus iniquitas, per coniuncturam ma[illegible]æ pietatis emendanda est. c. de inoff. test. l. iij. et mater filij sui negocia secundum pietatis rationem recte gerit. ff. de neg. gest. l. qui aliena. §. quamquam. nam, & si parentibus non debetur hereditas, propter uotum parentum, & naturalem erga liberos charitatem, Turbato tamen ordine mortalitatis, nō minus parentibus, quàm liberis pie relinqui debet. ff. de inoff. test. l. nam, & si. licet uotum patris sit ad filios suos res peruenire. c. de legi. her. l. de emancipatis. prospiciendum est etenim, ne parentum erga liberos munificentia retardetur. c. de bon. quàm lib. l. constitutiones, & nihil interest in se, quis ueritus sit, an in liberis suis, cum pro affectu parētes magis in liberis terreantur. ff. quod met. caus. l. isti quidem. in fi. & presumptio propter naturalē affectum facit omnia patri uideri concessa. ff. de li. leg. l. Aurelius. §. ti-

tius, nam ratio paternæ affectionis non admittit suspitionem.ff.de his. qui,ut iudi. l.fin. ideo autẽ patri, non marito,mulierem, & omnem adulterum,permissum est occidere, quia plerumq; pietas paterni nominis consilium pro liberis capit, cæterum mariti calor, & impetus facile decernentis,fuit refrenandus.l. nec in ea. in fi.ff.de adult.quos ad bona liberorum ratio miserationis admittit,liberorum naturæ simul, & parentũ commune uotum.ff.und. lib.l.scripto heredi. cũ intersit parentum animos liberorum non corrũpi.ff.de seru.cor.l.in tantum.§.i.nam quis patiatur iura patris naturalis nexu diuino copulata ludibrio defraudari, auita, & proauita affectione hæc omnia resecante.c.de adopt. l.pen.& paterna reuerentia patrem excusat à ratiociniũs, & cautionibus,& ab alijs omnibus, quæ ab usufructuarijs extraneis à legibus exiguntur, nam filios agere parentibus neceße est, propter ipsam naturam, & leges quæ à parentibus alendos eße liberos impetrarunt, & ab ipsis liberis parentes, si ab utraque parte inopia uertitur.c. de bonisq;.lib. l.fi. considerareq; debent & parentes, quòd & ipsi filij fuere, & eadem à suis parentibus sperauerunt, & similiter quæ nunc filij sibi debent, & studere parentum animas sanare,quod & ipsi parentes fieri desiderant,& à suis optant filijs honorari.§.considerare.in autẽ. ut cum de appel.cognos. ideo filius emancipatus

patrem inopem alere cogitur, iniquissimum esse meritò quis dixit patrem egere, cum filius sit in facultatibus. ff. de lib. agnos. l. si quis à liberis §. si impubes. etiam quòd filius sit miles, si in bonis sit, cum ratio naturalis hoc dictet parentes à filio ali debere. ead. l. si quis. §. milite. persona enim patris filio semper honesta, & sancta uideri potest. ff. de obseq. l. liberto. nec pietas patris est spernenda. ff. si quis in fraud. patr. l. i. §. cum igitur. nam lex erubescit castigationes filios parentibus instituere. §. sed quod sancitum. in auten. de nupt. licet legum contemptor, & ipsius sit, tamen pater est. §. si uerò in auten. de incest. nupt. etiamsi impius. c. cæterum cum glos. lxxxvi. di. & clarius c. i. xxx. di. & si filius patrem, aut matrem, quos uenerari oportet, contumeliis afficit, uel impias manus eis infert, Præfectus urbis delictum ad publicã pietatem pertinens pro modo eius uindicat, indignus enim est iudicandus, qui patrem, & matrem, à quibus se educatum dixit, maleficos appellauit. ff. de obseq. lib. l. i. de quo Ouid. 8. Metamor.

Filios ante diem patrios inquirit in annos Ouid.
Victa iacet pietas, & uirgo cede madentes
Vltima celestum terras Astrea reliquit.

Similiter Boet. de consolat. Alter utroq; circum filiis orbus liberis alieno censum nutrit, Boet. *heredi alius prole letatus, filii, filiæuè delictis mestis illachrymat, in his Euripidis sententiam*



probo, qui carentem liberis in infortunio dixit esse felicem. & plura per Val. Max. uariæ fortunæ exempla scribentem, ubi diuersimodè iudicatur natura humana.

De honore maiorum, & authoritate ipsorum erga inferiores. Cap. IX.

POstquam est dictum de reuerentia, quæ parentibus debetur à filijs, quia sunt qui dam, quibus uel ratione dignitatis, uel ætatis, uel honore uirtutis, reuerentiæ præstatur obsequium per inferiores ipsorum, cum semper debeat obseruari, quòd inferior superiori seruire debet. ff. de aqu. pluu. arc. l. i. in fin. ideo de ipsis uidendũ est: unde Imperator in l. restituendæ. C. de adu. di. iu. uniuersis redditur, quod pro uoto omnium primatibus indulgent, quia potentioribus pares eße non poßumus. l. iij. in princ. ff. de alien. iud. & seruandum est semper inferiorem superiori seruire, atque hoc incommodum naturaliter pati inferiorem à superiore, compensare enim debet cum alio commodo. ff. de aqu. pluu. arc. l. i. in fi. & senectus semper in Vrbe Romæ uenerabilis fuit, & antiqui penè eundem honorem senibus, quem magistratibus tribuebant. ff. de iur. immun. l. semper. zelus enim ad uirtutem cre

ſcit, maxime iuuenibus, ſicut cum maioribus, & ſenioribus conſtituantur, ſit etenim ſeniorum conuerſatio ſenectutis educatio perfecta, & ſic ſint in omnibus ſuis maioribus obedientes, & traditam ſibi conuerſationem inculpabiliter ob ſeruantes.§.aliquando. in auten. de mona. Vnde ſenioribus propinquis data eſt poteſtas corrigẽdi minores pro qualitate delicti, ut quos ad uitæ decora domeſticæ laudis exempla non prouocãt, ſaltem correptionis medicina compellat. c. de em. propr.l.in corrigendis. nam dicit tex. l. omne delictum.§.i.ff.de re mil. quòd qui manus intulit Propoſito, capite puniendus eſt, augetur enim petulantiæ crimen dignitate Propoſiti,& Marcellus in l.miles.§.irreuerens. eod.tit.irreuerens miles non tantum à Tribuno, uel Centurione, ſed & à Tribuno cohærcẽdus eſt,nam eũ, qui Centurioni caſtigare ſe uolenti reſtitit, uete res uocauerunt irreuerentem: Sed ſi uirgam tenuit, militiam mutat, ſi ex induſtria fregit,uel manum Centurioni intulit,capite puniatur.quia decuriones in albo ita ſcriptos eſſe oportet,ut lege precipitur, ſed & ſi lex ceſſat, tunc dignitates ei ſpectantes ſcribantur eo ordine,quo quiſq; eorum maximo honore in municipio affectus eſt, ut puta, ut ille, cuius honor precellit, & antiquiſſimus quiſque prior,deinde,qui ſecundo poſt eum honore functi ſunt,proinde unuſquiſque eorum in ordine uenit, in ſummis quoque ſcriben-

dis is ordo seruandus est.l.i.ff. de alb. scrib. &

Seneca. *Seneca. Naturæ est maioribus minora submittere, non præcedit armentis de genus taurus, sed qui magnitudine maior cæteros mares uincit, Elefantorum gregem excellentissimus ducit, inter homines primo optimus animo eligebatur rector, non poterat esse potentior, nec melior, sicq; qui prior, ac melior, inferioribus præcellere, & ab eis debet honorari. Vnde Iuuenalis facetè loquitur.*

Iuuen. *Improbitas prima fuit admirabilis æuo,*
Credebāt, quòd grande nephas, & morte piādæ
Si iuuenis uetulæ non assurrexerit, etsi
Barbato.

Et illud scripturæ quicumq; puer coram cano capite consurge, & Cato, Cede maiori. hoc enim ferè semper ab his senibus habemus, quòd antiquorum gesta in nobis renouantur, licet addendo, uel diminuendo loquantur, quia senecta loquax, & amica in fabulis referendis. Macro. lib.v. Saturn.cap.xiiij. ubiq; senes apud Romanos graui honore recipiebantur, à domo ducebātur, eoq; reducebantur. Aul. Gell. lib. ij. noct. Attic. cap.xv. sicq; gradatim uirilis honestas crescebat, dij reuerebantur, qui & eis propitij essent.

De uirtute obedientiæ, & contumaciæ pœna. Cap. X.

Honores maiorum, ipsorumq; authoritates multum nobis conferunt, quia minores obedientiam maioribus suis debent, quæ uictimis præponitur, omneq; præcellit obsequium, sine qua nullus omnino saluatur, cum prauitatis hereticæ macula diffametur, & ariolandi peccatum dicatur incurrere contumax, ac inobediens. viij. q. i. sciendum, grauisq; pœnæ subijciatur aculeis, xxiiij. q. iij. c. corripiantur, ideo de his uideamus, cum præstantissima, & laudabilis sit uirtus obedientiæ, quia honestius, & tutius est subiectis debitam Præpositis obedientiam impendendo inferiori ministerio deseruire, quàm cum Praepositorum scandalo gradum scãdere, in uirtute enim obedientiæ, & amplitudine charitatis acquiritur regnum Dei, de tẽp. ord. c. ad aures: Vnde Modestinus in l. iij. §. in bello. ff. de re mili. in bello, qui rem prohibitam à duce fecerit, aut mandata non obseruauerit, capite puniatur, etiam si res bene gesserit, ut de Torquato, qui filium (licet de inimicis uictoriã reportauerit) capite percussit, & sciendum est, quod si obedientia aliquando de suo aliquid habuit, nulla est: aliquando si de suo aliquid non

habuit, minima est, nam cum huiusmodi successus percipitur, cum locus superior Imperator, is ad percipienda hæc obedit, obedientiæ sibi uirtutem euacuat, si ad hæc ex proprio anhelat, neque se sub obedientia dirigit, quid ad percipienda huius uitæ prospera libidini proprie ambitionis inseruit, rursus cum mundi despectus præcipitur, cum probra adipisci, & contumelias iubentur, nisi ex semetipso animus appetat, obedientiæ sibi meritum minuit, qui ad ea, quæ in hac uita despecta sunt inuictus, nolensq; descendit, obedientia enim uictimis iure præponitur, quia per uictimam aliena caro, per obedientiã uerò uoluntas proprra mactatur, quomodo enim ariolandi peccatum inobedientia esse monstratur, ex aduerso ostenditur, quid de obedientiæ laude sentiatur: si enim peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scælus idolatriæ nolle acquiescere, sola est, quæ fidei meritum possidet obedientia, sine qua quisque infidelis esse conuincitur, etiam si fidelis esse uideatur, sic Gregor. in moralibus relatus à Grat. in c. sciendũ. viij. q. i. & Auterius Papa, quicunque maioribus non obtemperasset, aut extra castra positus à populo lapidabatur, aut gladio ceruice subiecta contemptum expiabat cruore, nunc uerò inobediens spirituali animaduersione trũcatur, aut eiectus de ecclesia rapido ore demonum decerpitur. c. absit. xi. q. iij. & si quis non obediens præ

lato suo sese extollere, atque exaltare desiderans, querens etiam obumbrare merita prelati sui simulata affectione doctrinæ, aut humilitatis, aut misericordiæ, is uerò deuius superbiæ, quoniam ueritatis ea regula est, ut nihil faciat commendandi sui causa, quo minor alius fiat, nec si quid boni operis habeas, id ad reformationem alterius, & uituperationem exerceas, nec defendas improbum: & sancta indigno committenda non arbitreris, nec iterum arguas, & impugnes, cuius crimen non deprehendis, & maioribus in cũctis honestis obedias: c. si quis. ead. caus. & q. & nulli fas est, nec posse, nec uelle transgredi maioris præcepta, nec suæ dispositionis arbitrium, quòd subiectorum sequi oporteat charitatem, sit ergo ruinæ sub dolore prostratus, quisquis maioris sui noluit contraire decretis, quoniam iam damnatus propter suam inobedientiam, atque presumptionem à quoque esse non dubitatur, qui non solum prælati sui iussionibus parere debuit, sed & alijs ne preterirent, insinuare. Sitq; alienus à diuinis officijs, qui noluit suis maioribus, ut debuit, obedire. xix. di. c. nulli, quia sententia pastoris siue iusta, siue iniusta tenenda est: xi. q. iij. c. sententia: licet aliquando mitius agatur, nam ad ea, quæ non habent atrocitatem facinoris, uel scæleris ignoscitur, seruis, siue dominis,, siue hijs, qui inuicẽ dominorum sibi obtemperauerint. ff. quod ui, aut

clam.l.is,qui in puteum.§.si tutoris : & si iustus forte sub rege sacrilego militet, recte potest illo iubente bellare, siue pacis ordinem seruans, uel id,quod non esse contra Dei præceptum sit, uel utrum sit certum, non est ita, ut fortaße reum faciat regimen iniquitas imperandi, innocentē autem militem ostendat deuotio obsequendi; c. quid culpatur.xxiij.q.i. & si quis ex quacunque parte ausus fuerit iußa principis excedere, & non festinauerit, in Dei timore eas seruare,non solum dignitatis, aut substantiæ periculū substinebit, sed & ultimo supplicio subiacebit. c.de offic.pref.pret.api.in fin. quia contumacia eorum,qui ius dicenti non obtemperant, litis dāno cohercentur, contumaces non uidentur, nisi, qui cum obedire debent, non obsequuntur, idest, quod ad iurisdictionem eis est pertinens, & obse qui denegant.ff. de re iud.l.,contumacia . imò, & qui tacuit apud pretorem, contumaciæ pœnam ferre debet, ut in solidum inueniatur,quēadmodum si negaßet, quia Pretorem uidetur contemnere. ff.de interrog.act.l.de ætate.§.qui tacuit. propterea Seneca inquit. Sapiens numquam potentioris,seu maioris iram prouocabit, imo declinabit, & deuotus obediet: inimicitiæ potentium graues sunt, da operam, ne quid inquam inuictus facias, qui in pœna liberis excipit, partem acerbisşimam seruitutis effugit,sci licet facere id, quod noluit, qui facit miser est,

sed

sed qui inuictus facit omne honestum uoluntariũ, admisce illi pigritiam, querelam, tergiuersationem, quod in se habet optimum perdit, scilicet placere sibi. Itaque sic animum componas, ut quicquid res exigit, id uelimus, omnium quidem honestarum rerum semina animi gerunt, quæ ad admonitionem excitantur, non aliàs, quam sint illa leui flatu, ad uitam difficultetur, ad naturam reducitur, nec qui ab illa defecit, non magnus labor est, si modo animum nostrum formare cœperimus, & corrigere, antequam indurescat prauitas eius, sed nec indurata ea despero, nihil est, quod non expurget pertinax opera, & intenta, ac diligens cura roboramentum, quamuis flexa reuocabilis curuatas nubes calor explicat, & aliàs nactæ, in id finguntur, quod usus noster fingit, quanto facilius animus concipit formam flexibilis, & omni humore exequentior, non ergò desperamus diuturnos ægros posse sanari, si circa intemperantiam steteris, si multa inuitos, & facere cogit, & pati, quia omni animi obsequia, & obedientia frena superat: Sic Ouidius.

Principibus placuiße uiris non ultima laus. Ouid.

Per quid quesò Reges regnant, nisi uirtute obedientiæ, quam si superiori auferas, ordo mutatur, confusio inducitur, ut recta ratio uiuendi, occupetur, ut etiam bonum posßit intermitti, ut obedientia prestetur, unde clericus uouens

peregrinari, nihil faciet inuito episcopo de conſ. di.v. non oportet. xi. q. iij. quid ergo, in tribus enim conſiſtit ipſa obedientiæ uirtus, in reuerentia exhibenda, mandato ſuſcipiendo, & iudicio ſubeundo. ut Lau. xciij. di. in ſum. & Io. in c. ſi. xix. q. ij. ſi enim primi parentes Deo obediſſent, utique mors non intraſſet in mundum, quorum inobedientiam ſuperauit cum ſua humilitate Redemptor noſter Chriſtus, qui factus eſt obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis, Epheſ. ij. Deus enim cum cuncta creaßet, ſeptimaq; die requießet, propter peccata hominum motus eſt à quiete, ideo Chriſtus operatus eſt in Sabato, quia uetus creatura in Sabato deſierat, ut noua inde inciperet, & ibi prius manum admoueret, ubi prius deſierat. Ambr. ſup. iiij. Luc. Deus enim magis uult ſibi obediri, quàm offerri holochauſta, & uictimas. 1. Reg. ca. 15. & ſcriptum eſt, omnis anima ſubdita ſit ſublimioribus poteſtatibus. de cenſ. c. omnis anima. ad Rom. 13. uidemus enim inſenſibilia rationis Deo obedire, dicebant namque, quis eſt hic, cui mare, & uenti obediunt. Matth. 5. & uide Abraham, qui, ut Deo obediret, deſerit patriam, circuncidit, & inuolat filium unigenitum, licet Angelus tenuerit manuum. Gen. 22. 17. 12. dixit enim Angelus, quia non peperciſti unigenito propter me: ſic deniq; inobedientia hominem de Paradiſo eiecit, obedientia ipſum in Para-

disam introduxit, Veritas descendit de cœlo, nō ut faceret uoluntatem suam, sed eius, qui misit eum, sed proh dolor, obedientia hodie est in mundo, sed reprehensibilis, homines obediunt creaturæ inferiori homine, quia pecuniæ, unde facit illud Eccles. x. pecuniæ obediunt omnia, unde non mirum, si à contumacia obedientiæ omne uitium procesit reuertatur: ergo homo ad se ipsum, cogitet cuius imago est sua, & quæ sunt Cæsaris Cæsari, quæ Dei det Deo, uix enim est, ut malum posit oriri, si obedientiæ tramites obseruentur, & uix bonum potest sequi, cum in contumaciam uersus quis fuerit, ex uno postea licet minimo, in multa prosequitur delicta, ideo merito poeta, Prĩcipijs obsta, sero medicina paratur, & infidelis est, licet fidelis eße uideatur, qui præceptis superiorum inobediens redditur: Paulus Fuscus V.I.D.

De celsitudine Reg. Dignit. & his, quæ specialiter decent eccellentiam eius. Cap. XI.

Postquam de uirtute obedientiæ, & contumaciæ pœna dictum est, quia præmium principalis authoritas dignitatibus singulis, quibus

obedire tenetur, quàm propter corrigendos sub ditorum excessus, & innocentium seruandam quietem in terris sui uicarium prouidentia diuina constituit, cum scriptum sit, per me reges regnant, & potentes scribunt iustitiam. c. de sum.tri.& fid.cath.l.inter claras. quæ uirtutũ præmia merentibus tribuit.c.de sta.& ima.l.et uirtutum, & delinquentibus, quibus correctionis medicina non proficit, tanquam obstinatis in malo debere parat ultionis aculeos, cum in eos angustæ liberalitatis, non referatur humanitas, quæ impietatem ueteris admissi, non emendationi potius, sed consuetudini deputarunt.c.de epis.aud.l.iij.ideo,& de ipsis uideamus,& maxima quidem hominibus sunt dona Dei, à superna collata clementia, sacerdotium,& imperiũ, id diuinis ministrans, hoc antem humanis præsidens, ac diligentiam exhibens,ex uno,eodemq; principio, utq; præcedentia humanam exornãt uitam. in auten. quom. opor. episc. in princ. & imperium propterea Deus dedit de cælo, ut difficillibus imponant,quæ apud eum sunt bona, & legem aptet secundum naturæ uarietatem.§.i. in auten.de fid.instr.cau.Vnde Imperator in auten.ut diu.iuss.subli. in princ. nostræ serenitatis sollicitudo remedijs inuigilat subditorum, nec ceßamus inquirere, si quid sit in nostra Repub. corrigendum, ideo autem uoluntarios labores appetimus, ut alijs quietem preparemus. & in

l.iij.ff.de offic.præf.urb.salutem Reip.tueri nulli magis credidit conuenire, nec alium sufficere ei rei, quàm Cæsarem. & in l.i.C.de cad.toll. necessarium duximus in pacificis nostris temporibus grauamen ab urbe recludere, ut quod belli calamitas introduxit, hoc pacis leuitas sopiret, ut omnibus prodesset, hoc rei priuatæ nostræ utilitati præferendum esse censuimus, nostrum esse proprium subiectorum commoda imperialiter extimantes, & ampliorem prouidentiam subiectis conferimus, quàm forsan ipsi uigilantes inuenirent.c.de appell.l.ampliorem. & paterno affectu, quod eis parentes sponte non facerent, hoc post domini communis omnibus placet, qui Imperium habet, per leges seruat. in auten.nec uir, qui ex dot.§. ultimo, cum satis, abundeq; Imperiale sit, humaniorem sententiã pro durioribus sequi.c. de com.ser. man.l.fin.in ult.uerbis, & in auten.ut iudic.sin. quoque suff.in prin.omnes nobis dies, ac noctes contigit cũ lucubratione, ac cogitatione degere, semper uolentibus, ut ad utile, & placens Deo à nobis collationibus præbeatur, & non in uano uigilias ducimus, sed in huiusmodi eas expendimus consilia pernoctantes, & noctibus sub equalitate dierum uertentes, ut nostri subiecti, sub omni quiete consistant sollicitudine liberati, nobis in uosmetipsos pro omnibus cogitationem suscipientibus, & in auten.ut hij qui obli.se hered. in fin.

hæc, quæ adinuenimus pro aliorum cautela, complecti non pigebit, ut per omnia patres eorum, qui sibi auxiliari negauerũt, existimamus. & in auten. de consuli. in fi. ab omnibus Imperatoris fortuna excipiatur, cui & tempora Deus leges subiecit, legem animatam eum metiens, & in §. si uerò non copulatus. in med. soli Imperatori aurum contemnere præstat fortunæ fastigium. nec de eius unquam successione tractabitur, qui nobis medijs, & toto iure, quod nostris est scrineis constitutum recte succedat. c. de testa. l. omnium. ne Princeps philosophia plenus aliquid uideatur imperfectum sancisse, nihil enim actum esse credimus, dum aliquid addendum superest. c. ad sillan. l. sillanianum. ideo plenissime interpretatur beneficium Imperatoris, quòd à diuina eius indulgentia proficiscitur. ff. de const. princ. l. fi. & cum multa priuilegia imperialibus iam præstita sint, dignum incrementum & hijs offerre dignata est clementia, ut enim imperialis fortuna omnes supereminet alias, ita oportet principales liberalitates culmen habere præcipuum: c. de bon. quæ lib. l. cum multa. Vnde Sceuola in l. queris. ff. de nat. rest. quæris, an ingenuitatis beneficio utatur is, quem sanctissimus, & nobilissimus Imperator natalibus suis restituit, sed ea res non dubitationem habet, nec unquam habuit, quin exploratum sit, ad communem ingenuitatis statum restitui

eum, qui isto beneficio Principis utitur. quia, quod ipse Princeps instituit, pro lege seruatur. ff.de orig.iur.l.ij. & quod Principi placuit legis habet uigorem. ff. de const. l. i. & licet lex Imperij sollemnibus iuris Imperatorem soluat, tamen nihil tam proprium est imperij, quam legibus uiuere. c. de testa. l. ex imperfecto, quia decet tantam maiestatem eas seruare leges, qui bus solutus esse uidetur. ff. de leg. iij. l. ex imperfecto. & digna uox est maiestatis regnantis, le gibus se alligatum Principem profiteri, à Deo de authoritate iuris nostra pendet authoritas, & reuerentia, magis Imperio est submittere le gibus principatum, & oraculo presentis edicti, quod nobis licere non patimur, alijs indicamus. c. de leg. l. digna uox.

Vnde extant uersus Claudiani.

In commune iubes, siquis censesvè tenendus Claud.
Primus iußa tibi, tunc obseruantior æqui
Fit populus, nec ferre uetant, cum uiderit ipsum
Authorem parere, sibi componitur orbis
Regis in exemplum, non sic inflectere sensus
Humanos, edicta ualent, ubi uita regentis.
Tu licet extremos longe dominare per Indos,
Te Medus, te mollis Arabs, te Seres adoret,
Si metuis, si praua cupis, si duceris ira,
Seruitij patiere iugum, tolerabis iniquas

Interius leges, tunc omnia iura tenebis,
Cum poteris rex esse tui.
Non tua priuatis crescant eraria damnis
Impia continui cessent augumenta tributi,
Perduret non empta fides, nec pectora uinces,
Alligant ipsa suo pro pignore, castra laborent,
Tu ciuem, patremq; geras, tu consule cunctis
Non tibi, tua te moueant, sed publica uota.

Et Boetius de Consolatione.

Boet. *Qui se uolet esse potentem, animos domet ille feroces,*
Nec uicta libidine colla fœdis submittat habenis,
Et est licet modica longe tellus, tua iura tremescat. Et seruiat ultima &c:

Quia non uirtutibus ex dignitate, sed ex uirtutibus dignitatibus honor accedit, & maiestas regia secundum Alex. Magni ponderis esse solet, & dicebat Plato, Imperatorem quasi parentē esse oportere, quo seruientibus & amorem sui, Seneca. *& reuerentiam persuadeat. Et Seneca, Si uis omnia subijcere, subijce te rationi, multos reges si ratio te rexerit, imperare sibi maximum imperium est, innumerabiles sunt, qui urbes, qui populos habuerunt in potestate, paucissimi, qui se: nulla maior est uictoria, quàm uitia domare sua, nemo regere potest, nisi qui & regi, &c. Reges enim adorantur, & alij salutantur, cap. de silent. l. prima. li. xij. licet Rex amore*

non terrore regnare debeat, quia improba dominandi cupido multa mala suscitat, ex quo Lacedemones sunt expugnati, & in seruitutem redacti, non sic Cæsar primus Imperator, qui si uiolandum sit ius, dicebat, regnandi causa eße uiolandum, crudeliter postea confossus perijt, & de hoc in usib. feud. quæ sint Reg. per Andr. ponentem omnes iurisdictiones spectare Regi. &c.

Qualis esse debeat, & Constitui Rector. Caput. XII.

POstquam dictum est de celsitudine Regiæ dignitatis, quæ licet cunctis potentialiter prosit, propter indiuiduitatem personæ presentialiter omnibus adeße non poteſt, & ideo iuris administratores, & sui uicarios in subiectis sibi prouincijs quadam neceßitate, vel potius congruitate constituit, qui uocati sunt in partem sollicitudinis, non in plenitudine poteſtatis, extra de auth. & uſ. pall. c. ad honorem. quorum geſtus à iure non deuios, tamquam per se factos ratificat principalis authoritas, & propterea dicitur, omnia merito noſtro facimus, quia ex nobis omnis eis impartitur authoritas. C. de vet. iur. enucl: l. i. §. sed nec, ideo uidenda sunt aliqua deipsis. Vnde in rectoribus eligendis curam oportet eſſe

perſpicuam, irreprehenſibiles enim eße conuenit, quos præeße neceße eſt corrigendis, longam debet uitam ſua probatione monſtrare, cui aliorum gubernacula committuntur. lxi. di. C. in ſacerdotibus. quia fortàße is, qui ſine iudicio eligitur, cum præeße iam cæperit, agere, quæ Dei ſunt, prohibet, quæ mundi ſunt, iubet. xiij. di. C. nerui teſticulorum. ad med. quid aliud exiſtimarent neſcio, ut ſecundus locus gubernatorum mihi traderetur, qui remum tenere non noueram. xl. di. C. ante omnia cum talis debeat eligi, ut ipſius comparatione, cæteri grex dicantur. xxv. di.c. nunc autem. quia integritas preminentium ſalus eſt ſubiectorum, & ubi eſt incolumitas obedientiæ, ibi eſt ſana forma doctrinæ, principatus autem, quem aut ſeditio axtorſit, aut ambitus occupauit, & ſi moribus, atq; actibus non offenderit, ipſius tamen initij ſui eſt perniciosſus exemplo, & uix bono peraguntur exitu, quæ malo ſunt inchoata principio, totius autem familiæ domini ſtatus, atque ordo mutabitur, ſi quod requiritur in corde, non inueniatur in capite, unde ſicuti boni operis ſibi comparat fructum, qui rectum tenet in eligendo rectorem iudicium, ita graui ſemetipſum afficit damno, qui ad ſuæ dignitatis collegium ſublimat indignum. non enim in cuiuſcumque perſona pretermittendum eſt; quod ſtatutis generalibus continetur, nec

putandus est honor ille legitimus, qui fuerit contra diuinæ legis præcepta collatus. is ergo aliorum administrationi censetur idoneus, cuius omnis ætas à puerilibus exordiis usq; ad perfectiores annos per disciplinæ stipendia cucurrisset, ut unicuique testimonium prior uita prebeat, non potest de eius perfectione dubitari, cui pro laboribus multis, pro moribus castis, pro actionibus strenuis celsioris loci præmium iam debetur. lxi. di. c. miramur, & Imperator. in. l. sancimus. c. ad. l. Iul. rep. sancimus huius uiros ad prouincias regendas accedere, qui ad honoris insignia, non ambitione, uel precio, sed probatæ uitæ solum, & testimonio promouentur. & honoris augmentum, non ambitione, sed labore ad unumquemque conuenit deuenire. C. de re mil. l. circa publicam. quomodo enim potest ecclesiæ auferre malum de medio eius, qui in delictum simile corruit, aut qua libertate peccatum corrigere, cum tacitus ipse sibi respondeat eadem se commisiße, quæ corripit. xxv. di. c. primum, aut quo modo potest orator eße uiduitatis, qui ipse coniugia frequentauit xxvi. di. c. una tantum. & qui primus optimus inter optimos monachos institutus indignus præsulatu eorũ, hic debet eligi, eo quod humana natura talis est, ut nec per ordinem omnes inter summos, nec

rursus omnes inter nouissimos constituti sint, si procedat quidem serui gradum præcedentis inspectio, qui verò prior mox inter numeratos apparuit, optimus is rector sit, & ordinem simul, & uirtutem suffragantem habens. in auten. de mon. col. fi. nec ulli licentia est defensoris ordinationem declinare, sed inuicem uniuersi nobiliores ciuitatum habitatores hoc ministerium eis adimpleant, nam omnis gens subminori constituta iudicæ sententiet prouidentia, cõuenit ergo unumquemq; nobilium semper functionem agere ciuitatum, quas inhabitanti & hanc eis conferri habitationis recompensationem. in auten. de defens. Ciu. §. interim, nam famosis, & notatis, & quos scelus, & uitæ turpitudo congregat, & quos infamia ab honestorum cœtu seggregat, dignitatis portæ patebunt. C. de digni. l. 2. li. xij. & omnes eligantur melioris opinionis existẽtes non propter amicitias, an aliam, quamlibet gratiam, sed quia sciunt eum, & fide rectum, et uita castum, & gubernatione dignum, & qui possit disciplinam, & omnem subiectorum utiliter custodire. in auten. de sanctis. epis. §. si quis autem, & gradatim honores deferãtur dicto, & ut à minoribus ad maiores perueniatur epistola diui Pij exprimitur, & si lege municipali cauetur, ut præferantur in honoribus certæ conditionis homines, attamen sciẽdum est hoc esse obseruandũ, si idonei sunt, & in rescripto continetur. l. vt gra

datim ff. de mu. & honor. & §. praeces l. qui ori ginem, praeses prouinciae prouideat munera, & ho nores in ciuitatibus aequaliter per uices secundū aetates, & dignitates, aut gradus munerum ho- norumq; antiquitus statuti sunt iniungi, ne sine di scrimine, & frequenter hijs oppressis, simul iu ris respubl. destituantur. Vnde maturitas aetatis requiritur in sacris ordinibus, & ecclesiasticis ministerijs, & grauitas morum, & litterarum scientia inquirenda, multo fortius in Episcopo hoc oportet inquiri, qui ad curam positus aliorum in seipsum debet ostendere qualiter alios in do- mo dei oporteat conuersari: c. cum in cunctis. extra de electi, & nihil est, quod ecclesiae dei magis officiat, quam quod indigni assumantur praelati ad regimen ecclesiarum eod. tit. c. nihil est. & quamquam desideranda sit eminens scien tia in praelatis, est tamen in eis si fuerit compe- tens toleranda, quia scientia inflat, charitas au tem edificat & ideo imperfectum scientiae sup- plere potest perfectio charitatis. de renunc. c. nisi cum pridem: nam quod agitur à praelatis, facile dabitur à subditis in exemplum, ius quod domi nus inquit ad Moysen, si sacerdos, qui est unctus peccauerit, faciet delinquere populum, extra de uot. c. magnae. & in c. ex multa. Episcopi sicut dignitate eccellunt, sic religione debent alijs prae minere, & de accusat. c. qualiter licet hoc sit ob seruandum in subditis, diligentius tamen hoc est

obseruandum in prælatis qui quasi signum sunt positi ad sagittam, quia non possunt omnibus complacere, cum ex officio teneantur non solum arguere, sed & increpare frequenter, odium multorum incurrunt, & insidias patiuntur, & ideo sancti patres prouide statuere, ut accusatio prælatorum non facile admittatur, ne concussis columnis corruat edificium, ad quod sic inquit Imperator. in. l. i. §. optamus. C. de offic. pref. pret. api. optamus ut, omnes iudices nostri secundum uoluntatem, & timorem Dei, & nostram electionem, atq; ordinationem sic suas administrationes gubernare, ut nullus eorum cupiditati deditus uiolentias aliquas, uel ipse inferat, aut iudicijs, uel officijs eorum, aut quibuscumque alijs collatoribus inferre permittat. & eod. tit. l. in nomine domini. §. postquam sicut autem iubemus audaces, & feroces contra inimicos iudices, ac milites nostros esse, sic uolumus eos mites, ac benignos circa nostros collatores existere, & nullum damnum, nullam lesionem in eis efficere immo iubemus præsides nostros subditos seruare undique sine uiolentia, nihil ab ullo eorum percipientes, sed æqui sint in iudicijs, æqui uerò in publicis disciplinis & persequentes quidem delicta, innoxios autem undique custodientes eos, qui puri sunt, reos autem impugnantes secundum leges, & ipsi præsidentes collatori-

bus, tanquam patres filijs, diligentes quidem eos, qui sunt innocentes, qui uerò rei monstrantur, castigantes, ac punientes, omnemque iustitiam, in publicis, ac priuatis documentis eis seruantes. in auten. ut iud. sin. quoque suffr. eos autem. & in §. talem. de mand. princ. talem quidem prebe temetipsum hominibus publicis, & priuatis. ut terribilis quidem sis delinquentibus, & indeuotis: mansuetissimus autem, & mitis omnibus placidis, & paternam eis exhibens prouidentiam. & sicut dilectionem uisi sunt terentibus debere, qui timent, ita dilectionem uisi sunt timentibus debere, qui timent. arg. cap. prodest securitas. xxiij. q. v. & ut lisciuium per cinerem fluuens abunde lauat, & non lauatur: ita bona doctrina per malum rectorem, seu doctorem animas credentium lauat à sordibus peccatorum §. fi. lxxxiij. di. & uilissimus reputandus est, nisi præcellat scientia, et sanctitate, qui est honore præstantior. i. q. i. c. uilissimus: quia rector ueraciter dici non potest, qui nullo salubri regimine refrenat corporis appetitus. ij. q. i. c. scelus. nihil illo pastore miserius, qui luporum gloriatur laudibus, quibus si placere uoluit, atque ab hijs amari diligit, erit hic ouibus magna pernicies, nullus ergo pastor placere lupis, & gregibus auium

poteſt.83.di.c.ſi. & di. 84.c. quorundam. Tales erga ſubiectos noſtros debemus exiſtere, quales nos ſi ſubiecti fuiſſemus noſtros uellemus eßе præpoſitos. & eſt illud oratoris Domitij, cum ego (inquit) te habeam ut principem, cur tu me non habeas ut Senatorem, & conſiderandum eſt cur omnipotens Deus eũ, quem cũctæ eccleſiæ præeſſe diſpoſuerat, ancillæ uocem pertimeſcere, et ſe ipſum negare permiſit, quod nimirum magnæ eſſe pietatis actum diſpenſatione cognoſcimus, ut is, qui futurus erat paſtor eccleſiæ, in ſua culpa diſceret, qualiter alijs miſereri debuißet, prius itaq; oſtendit ſibi, & tunc propoſuit cæteris, ut ex ſua infirmitate cognoſceret, quam miſericorditer alienas infirmitates toleraret. 50. di.c.cõſiderandum. & ſæpe rectores improuidi humanam amittere formidantes gratiam loqui liberè recta pertimeſcunt, & dum culpas corripere metuunt, in caſſum delinquentibus promiſſa ſecuritate blandiuntur. Clauis quippè apertionis eſt ſermo correptionis, nec recta quidem nimie, & inordinate proferantur, quia doctorum uirtus perditur, cum apud corda audientium loquacitas incauta importunitate leuigatur, dum per aurem ei ſermo concipitur cogitatio in mente generatur, apud auditores autem mente ipſe ſua utilitate deſtruit, cum habere importunitas importunitatem neſcit 44. di. c. ſic rector, vbi diſcretus in ſilentio, utilis in uerbo, nè aut tacenda pro-

da proferat, aut proferenda reticescat, cum pa stor nolit increpare delinquentes, proculdubio eos tacendo occidit. xliij. di. c. ephesis Paulus. & qui suorum maxime domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infidelitate deterior, iure ergo, qui domui suæ præesse nescit, ordinari in rectorem alterius prohibetur, quia, qui in re nimia, & de qua familiarior debet cu ra esse, fidelis non est, quomodo ubi tot sunt alieni diligentiam exhibebit. xlvij. di. c. necesse est: cuius enim uita despicitur, restat, ut eius prædicatio contemnatur. iij. q. vij. c. si contra, nec pretoris factum iuri derogari oportet. ff. de ser. l. i. & ille iudicet de alterius errore, qui nō habet, quod in semetipso cōdemnet, iudicet ille, qui non agit eadem, quæ in alio putauit punienda, ne cum de alio iudicat, in se ferat sententiam. iij. q. vij. c. iudicet: & qui positus in grauibus peccatis, dum suis præmitur, aliena non diluit, cunctis etenim liquet, quia cum is displi cet, qui ad orandum mittitur, irati animus pro culdubio ad deteriora prouocatur. 161. cap. in grauibus. immo multo magis pœna sunt digni, quibus cum plurimum honoris delatum est, occulto reperiuntur in crimine. C. de Epis. & Cle. l. presbiteri. & si quemquā ad Episcopatus honorem prouehi contigit puris hominum mentibus, nuda electionis conscientia, sincero omniū iudicio proferatur, nemo gradum sacerdotij ue-

nalitate mercetur, quantum quisque mereatur, non quantum dare sufficiat, proferatur, profectò enim quis locus tutus, & quæ causa poterit esse excusata, si ueneranda Dei templa pecunijs expugnentur, quam murum integritatis, aut uallum fidei prouidebimus, si auri sacra fames penetralia ueneranda proserpit, quid denique cautum esse poterit, aut securum, si sanctitas incorrupta corrumpitur, nisi castus, & humilis eligatur temporibus nostris Episcopus, ut locorũ quocunque peruenerit, omnia uitæ propriæ integritate purificet, non precio, sed precibus ordinetur antistes, tantum ab ambitu debet esse semotus, ut quæratur cogendus, rogatus effugiat, recedat inuitatus, sola sibi suffragetur necessitas excusandi, profectò indignus est sacerdotio, nisi fuerit ordinatus inuitus. eod. tit. l. quæque: quia prælatus, qui præesse cupit, præesse recusat. & inquit Bernardus. Ita præsis, ut præsis,

S. Bern. *ut prouideas, ut consulas, ut procures, ut serues, deridendi sunt, immo plangendi, pastor exuriens, doctor insipiens, sine medicina medicus, præcursor claudus, preco mutus, monstruosa res est, gradus summus, animus infirmus, sedes prima, uita una, lingua multiloqua, manus ociosa, sermo multus, fructus nullus, uultus grauis, actus leuis, ingens authoritas, nutans stabilitas.*

S. Amb. *Et D. Ambrosius. Quòd sumus, potius professionum actione quam nomine de-*

monstremus, ut non congruat actioni, & actio respondeat nomini, ne sit nomen inane, & crimen inane, ne sit honor sublimis, & uita deformis, ne sit deifica professio, & illicita actio, ne sit religiosus amictus, & inreligiosus profectus, ne sit gradus excelsus, & deformis excessus, ne habeatur cathedra sublimior, & conscientia reperiatur sublimior, ne locutionem simulemus columbinam, & mentem habeamus caninam, ne professionem monstremus ouinam, & ferocitatem habeamus lupinam. & ideo sunt uersus.

Cum fueris maior alijs te finge minorem. Thobi.
Et de te mentire, ne sic in abissum
Deijcias alios, nec te super ethera tollas,
Quanto maior eris, malis descendere uiuas,
In magno minimus, in dominante maior.

De correctione malorũ, & quod impunitum non sit facinus relinquendum. Cap.XIII.

Postquam dictum est, qualis debeat esse, & constitui rector, quia inter alia, quae rectoribus competunt delictorum correctio praecipua deputatur, quae delinquentibus, cuiuscunque conditionis existant, satis est utilis, siue sint ta-

les, ut non in profundum malorum descenderint, sed possint per correctionis absinthium curam suæ pestis accipere, quos non pœna miseros facimus, sed emendatione beatos. xxiij. q. iiij. c. ea uindicta, siue sint tales, ut eis uelut uniuersalis languoris putrefactione corruptis aliqua medicamenta non prosint, quæ uelut immedicabile uulnus ense recidendum sit, quia fermentorum non sitiunt medicinam. di. lxij. c. aliquando. quorum interitus, & eorundem, quia qui magis uiuunt, deteriora committunt, & æternæ pœnæ faciunt se magis obnoxios, cum diuturnorum cruciandi sunt pœna, qui diuturnius peccauerunt. extra de consuet. c. fi. ideo, & aliqua referamus. de quo Isid. in c. factæ. iiij. di. factæ sunt autem leges, ut ipsarum metu humana coherceatur audacia, tutaquè apud improbos sit innocentia, & in ipsis improbis sint formidanda supplicia, & refrenetur nocendi facultas, quia sunt culpæ, in quibus culpa est relaxare uindictam, querenda semper est uirtus, ut inquiri debeat utrum actionum noxa condemnet, an pœna innocentia pacificata subducat. xxv. di. c. quia. nam dum uni parcitur, uniuersæ Ecclesiæ moliuntur interitum, quæ est ista bonitas, quæ est ista misericordia, uni parcere, & omnes in detrimentum adducere, polluitur enim ex uno peccatore populus, sicut ex una oue morbida uniuersus grex infirmatur, sic & uno, uel fornican

te, uel aliud quodcunque committente plebs uniuersa polluitur. Vnde Grat. in c. quia maior. 50.di. quem maior sequitur culpa, maiori plectatur uindicta, & dicitur esse iustitiæ inimica bonitas, & palpare criminosos, & uulnera eorum usque in diem iudicij incurata seruare, ead. dist. c. si quis diaconus. nam uulnera, quæ nō sentiunt fomentorum medicinam, necesse est ut abscindantur. lxxxij. di. c. quia aliquanti, & mortem languentibus probatur infligere, qui hanc, cum posfit excludere, non excludit, & error, cui resistitur, approbatur, & ueritas cum minime defensatur, opprimitur, negligere quidem, cum possis perturbare, uel arguere peruersos, nihil aliud est, quam fouere, nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare, & consultare uidetur erranti, qui ad resecanda, quæ corrigi debent, non occurrit, sicut autem aliorum uitam culpare non debet, ita nec aliorum laudibus delectari. lxxxiij. dist. c. consentire. odio habeantur peccata, non homines, corripiantur timidi, tolerentur infirmi, & quod seuerius castigari necesse est, non seuientis plectatur animo, sed medētis. c. odio. di. lxxxvi. & culpam proculdubio facientis habet, qui quod potest corrigere, negligit emendare, nam non solum qui faciunt, sed & qui consentiunt facientibus participes iudicantur, & libat domino prospera, qui ab afflictis depellitur, & aduer-

sa probat autem odisse seuitia, quibus condẽnat errantes, nec relinquit sibi locum deuiandi, qui excedentibus non pepercit, & primus innocentiæ gradus est odisse nephanda, & latum pandit delinquentibus aditum, qui iungit cum prauitate consensum, & nihil prodest alicui non puniri proprio, quam puniendus de alieno peccato ead. di. c. facientis. proinde quia usitatum est tãtum malum, maiori existat frequenter mucrone succisum, nos quoq; huic uulneri canceroso ignitum, quod superest adhuc inijcimus ferrum. i. q. i. c. reperiuntur: ideo nulli iudicum licet delatũ ad se crimen imitari, aut nulli cobercioni mandare, nisi ipse pati uelit, quod alijs dißimulando conceßit. c. ne sant. batt. l. fi. in fi. curet is, qui prouinciæ præest malis hominibus purgare prouinciam, nec distinguitur unde sint. ff. de offic. præsi. l. iij. ideo irrefragabili constitutione sancitum est, ut ecclesiarum prælati ad corrigendos subditorum excessus, maximè clericorum, & reformandos mores, prudenter, & diligenter intendant, ne sanguis eorum de suis manibus requiratur. de offic. ordi. c. irrefragabili, & remißionẽ ueniæ crimina nisi semel commissa non habeant, nec in eos angustæ liberalitatis referatur humanitas, qui impietatem ueteris admisi, non emẽdationi potius, sed cõsuetudini deputarunt. c. de Epis. aud. l. nemo. iudicẽ uerò noße oportet, quod graui infamia sit notandus, si crimen apud se

probatũ distulerit, uel omiserit, uel impunitate donauerit, aut molliorem, quã per legem est prolata, præstiterit pœnam. c. ad l. Iul. de ui publ. l. seruos, sed unusquisque pro crimine, in quo fuit deprehensus motum congruæ seueritatis excipiat. c. de pen. l. nequis, & sunt uerba Imperatoris in auten. de nõ alien. aut permu. §. quia uerò leonis. lo ij. uidemus (inquit) quosdã amatores sic periculi constitutos, ut presumant ad quæ interdicta sunt accedere circũuentionem facere legibus, ex uoluntate, & presumptione, quam habent, & quæ omnibus modis interdicta sunt, & forsitã deducũt ad mortẽ homines, qui hæc agũt, propterea necessarium extimamus, in unoquoq; dicto debitam, statuere pœnam, & indignum est, ut ultionem pudoris uersuti iuris excludant: c. de adul. l. ita nobis. in fi. laudabilis. n. huiusmodi est, & calumniatoris effugiet nomen, qui causam contra legem factã redarguit, author pietatis, et utilitatis publicè factus. in aut. de nõ ali. §. fi: nõ uos iudicetis esse maleuolos, quando crimẽ alterius iudicatis, magis quidẽ nocentes existitis nõ iudicando crimen, quã si fratres uestros, quos iudicando corripere potestis, tacẽdo perire permittatis: Si enim frater tuus uulnus habet in corpore, quod uult occultari, cum timet secari, nonnè crudeliter à te siletur, & misericorditer indicatur, quantò ergo prius debes manifestare, nè deterius putrescat in corde. v. q. v. c. ij. quod. n. illi.

citè, publicè, uel priuatim exactum, cum altero tantum pasſis iniuriam exoluatur, per uim uerò extortum, cũ pœna tripli reſtituet, amplius extraordinarie plectetur; alterũ nãq; utilitas priuatorũ, alterũ uigor publicæ diſciplinæ poſtulat. ff. de publi. l. licitatio. §. quod illicitè. quia omni delinquenti eſt adhibenda correctio, nec malorũ eſt diſciplina ſpernenda. c. Nabuchdonoſor. in fi. xxiij. q. iiij. nec omnis, qui parcit amicus eſt, nec oĩs, qui uerberat inimicus, meliora .n. ſunt uulnera amici, quã uoluntaria oſcula inimici, melius. n. eſt cum ſecuritate diligere, quã cũ lenitate decipere, & qui freneticũ ligat, & qui lethargicum excitat, ambobus moleſtijs ambos amat, noueris aliquẽ furẽ auertendis pecoribus pabulũ ſpargere, & paſtorẽ aliquando ad gregẽ flagello pecora errantia reuocare. v. q. v. c. iij. & c. ſeq. non oſculatur ſemper pater filium, ſed aliquando caſtigat, ergo quando caſtigatur, qui diligitur, tunc contra eum pietas exercetur, habet enim & amor plagas ſuas, quæ dulciores ſunt, cum amatis amariſſimè infliguntur, dulcior eſt enim religioſa caſtigatio, quàm blanda remiſſio, & agenda ſunt multa etiam cum inimicis, quadam benigna aſperitate plectendis, quorum potius utilitati, quam uoluntati conſulendum eſt, nam in corripiendo filium, quantumlibet aſperè, numquam profectò paternus amor ammittitur, fiat tantum, quod nolit, &

doleat, quia etiam inuitus uidetur dolore sanandus, nihil est infelicius felicitate peccantium, qua penalis nutritur impunitas, & mala uoluntas uelut hostis interior roboratur. xxiij. q. i. c. paratus. quia facilitas ueniæ incendium tribuit delinquenti. ead. caus. q. iiij. c. est iniusta in fi. & si ea, de quibus uehementer Deus offenditur, insequi, uel ulcisci differimus, ad irascendum utique deitatis patientiam prouocamus. ibidem. c. si ea. quia satis apparet posse peccatũ amore potius uindicari, quam impunitum delinqui, ut illum, in quem uindicat, non pœna miserum, sed correctione beatum esse uelit. cap. ea uindicta circa med. ead. caus. & q. quis enim intelligit magis beneficium, quam supplicium nuncupandum, ubi nec seuiendi relaxatur audacia, nec puniendi in salutatis medicina subtrahitur. ead. caus. q. v. c. ij. ideo homicidas, sacrilegos, uenerarios punire non est effusio sanguinis, sed legis ministerium. c. homicidas. ead. q. quia famosos latrones in hijs locis. ubi grassati sunt furca figendos, quam pluribus placuit, ut & conspectu alij terreantur ab ijsdem facinoribus, & consolatio sit cognatis, & afflittis interremptorum, si eodem loco pœna redditur, in quo latrones homicidia fecissent. ff. depen. l. capitalium. §. pen. & qui alij nocendum esse existimauit, ipse suam sentiat iacturam, nec fructum suæ cal

liditatis accipiat. c. de legat. l. si legatarius: & transgressionis ultio sit cæteris, interdictio delinquendi. ij. q. vij. c. quapropter. nec impunita maleficia esse oportet. ff. ad l. aquil. l. ita uulneratus. quia si iudex repertum non uindicat facinus, tegere ut conscius criminosa festinat. c. de com. & merca. l. ij. & dissimulatione culpabili nephanda licentia roboratur. c. de incest. nupt. l. ab incestu. Vnde Horatius.

Horat. *Continuo culpam ferro compesce, priusquam*
Dira per incautum serpant contagia uultum.

Et Ouidius de rem. amor.

Ouid. *Corpora uix ferro quædam sanantur acuto,*
Auxilium multis, succus, & herba tulit.

Et Alexander insequitur dicens.

Alexan. *Graue uulnus acerbo*
Curatur ferro, grauis est medicina dolenti,
Asperior sanat grauiores potio morbos.

Seneca. Et Seneca. Nulla dura uidetur curatio, cuius salutaris effectus est, ita rectorem procedere decet, ut primo mollioribus uerbis conciliet animos, deinde transeat ad tristiorem orationem, quæ moueat, ad hoc exprobet nouissimus, ad penas leues, & reuocabiles decurat, ultima scelera suppliciјs ultimis puniat, ut nemo pereat, nisi qui perire, & pereuntis intersit. si enim rector fuerit negligens, quid aliј facient, increpandus est, quē ætas, non uita facit seniorem. ij. q. vij. c. paulus. nam prælati si deterius in populis delin-

quũt, crudelius sunt puniẽdi, & tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt. xi. q. iij. c. precipue. C. de sum. trin. l. nemo. prælatis .n. subditos non corripientibus contigit illud prouerb. xxiij. eris sicut dormiens in medio maris, et quasi sopitus gubernator amißo clauo, nã plerumq; remissio non misericordia, sed crudelitas est. xxiij. q. iiij. c. ipsa pietas, ut discurrit p aliqua Petr. de Obert. iiij. part. trac. de cult. uin. dom. cap. vi. & est attẽdẽdus status errãtiũ in correctione, ut Gregorius Ianuariũ episcopũ propter senectutẽ tantũ increparet, non puniret. lxxxvi. di. c. tanta. pietatis enim, non crudelitatis est officium delinquẽtes punire. xxiij. q. viij. c. legi. mali, & sibi, et multis nocent, multosque ad perditionẽ ducunt, quid .n. est malitia nisi summa miseria, secundũ Stoicos, quid miseri boni facere possunt, mortale forsan est egentes correctione non corripere, ad Gal. vi. si preoccupatus fuerit homo ĩ aliquo delicto, uos qui spirituales estis instruite huiusmodi in spiritu leuitatis, & noli subtrahere a puero disciplinam. prouer. xxiij. quos amo, arguo, & castigo. Apoc. iij. & melior est manifesta correctio, quam amor absconditus. prou. xxvij. nam qui corripit hominem, gratiam postea inueniet apud eum, magis quam qui per blandimenta lingua decipit, licet Ioannes Baptista pro corrigendo Herode martirium acceperit,

qui parcit uirgæ, odit filium, & de patre impio queruntur filij, quoniam per eum sunt in tormento. ij. q. vij. c. queritur, & si consideramus plerumque nobis non corrigentibus mala proueniunt, inquit.enim Franc. Petr. de remed. aduers. fort. dial. xxi. ex alieno peccato damnum, dolorq; nasci potest non infamia: &c. procedit tamen correctio ex amore. xxiij. q. iiij. c. ita plane. c. duo ista. psal. cxxxx. gl. sup. Mat. v. di. 50. c. considerandum. viij. q. i. clemens &c. si ea, quæ male usurpantur, omittemus, excessus uiam alijs aperimus. xliiij. di. c. peruenit. Paul. Fus. V. I. D. clar. propagatur enim uicium nisi per correptionem disciplinæ subseqatur correctio. xxi. q. ij. c. placuit. in fin.

De diuersitate pœnarum, & quod secũdum diuersitatem morborum diuersa sunt remedia præparanda. Cap. XIIII.

POstquam est dictũ de correctione malorũ, & quod impunitum non sit facinus relinquendum, quia secundum diuersorum criminum qualitatem, diuersasque conditiones peccan-

tium temporum,locorumque diſcrimina, rector diſcretus,ac diligens diuerſa ſupplicia præparat, & more periti medici languentium, languorumque complexiones attendens ſecundum quod eſt cuiuslibet proprietas, ac natura,requirit medicamentorum fomenta, uel remedia diuidit. xxviij. di. c. fi. ideo, & de hijs uideamus, unde inquit principaliter Marcellus iureſconſultus, in. l. reſpiciendum. ff. de pen. reſpiciendum eſt iudicanti, nè quid durius, aut remisſius conſtituatur,quam cauſa poſcit, uel depóſcit, non enim aut ſeueritatis, aut clementiæ gloria affectanda eſt perpenſo iudicio, prout que res ex poſtulat ſtatuendum eſt,plane in leuioribus cauſis procliuiores iudices ad lenitatem eſſe debent, in grauioribus pœnis ſeueritatem legum cum aliquo temperamento benignitatis ſubſequi, delinquunt enim homines, aut propoſito, aut impetu, aut caſu, propoſito delinquunt latrones qui fattionem habent,impetu autem, cum per ebrietatem ad manus, aut ad ferrum deuenitur, caſu uerò in uenando telum,uel in ferram miſſum hominem interfecit. & omnino ut in cæteris, ita in huius modi cauſis, ex perſonarum conditione,& rerum qualitate diligenter pœnæ ſunt exiſtimandæ,nè quid durius, aut remisſius conſtituatur, quam cauſa poſtulabit. ff. de incend. ruin. naufr. l. pedius. §. fi. & pro qualitate perſonarum,& actio reforma-

tur & condemnatio moderatur. ff. de neg. gest. l. Pomponius. licet in constitutis in maximo honore maior pœna debeatur. c. de epis. & cleri. l. presbiteri. quia cum legis ministri sint, & præcepta legis debeant custodire, grauior pœna debetur. c. de proc. aug. do. l. i. li. xi. unde pro forma datur, ut sicut minorem maior præcedit honore, ita & crimine, & quem maior sequitur culpa maiori plectatur uindicta. 50. di. c. quia. & prælati sicut deterius delinquunt, sic crudelius puniuntur, unde debent esse cauti et se custodire a culpa, nã si praua faciũt, non soli moriuntur. xi. q. iij. c. precipuè: & maiori reatu delinquit, qui potiori fruitur honore, & grauiora facit uitia peccatorum sublimitas peccantium xxv. q. i. c. nulli. & homo christianus fortiter cadit in peccatum propter duas causas, aut propter magnitudinem peccati, aut propter altitudinem dignitatis. c. homo. xxxx. di. ubi glos. ponit de circumstantiis aggrauantibus. quod explicauit August. dicens. Consideret qualitatem criminis, in loco, in tempore, in perseuerantia, in uarietate personæ, oportet enim attendere iudicantem & peccatorem, & eccellentiam sui status. de pen. di. v. c. consideret: & secundum diuersitatem morborum uulneribus medearis illatis, nec ad instar imperiti medici uno colliric omnium oculos curare uelis. xxix.

di. c. fin. & coguntur multas inuenire medicinas multorum experimenta morborum. 50. di. c. ubi constituentur. & ubi uulnus infixum est, medicina est adhibenda, quæ possit recipere sanitatem, quæ sanitas post uulnus sequuta, sine cicatrice esse non potest. i. q. i. c. uentum est. nec ideo negligenda est medicina, quia aliquorum insanabilis est pestilentia xxiij. q. iiij. c. Nabuchdonosor in fi. & in nouis morbis noua cõuenit antidota præparari. de iur. cal. c. cæterum, & medicus non est necessarius sanis, sed infirmis, ij. q. ij. c. multi. unde Claudianus discurrit.

Cautius ingentes animos, & proxima cordi Claud.
Vlcera pecunie tractant solertia curæ,
Parcendoque secat ferro, nè largius acus
Irreuocandus eat, siccis uitalibus error
Vlcera possessis late diffusa medullis
Non leuiore manu ferro sanantur, & igne:
Nè noceat frustra mox corrupta cicatrix,
Ad imum penetrant flãmæ, quo funditus humor
Defluit, & uacuis corrupto corpore uenis
Arescat fons ille, mali truncatur, & arcus,
Vt liceat reliquis secure uiuere membris,
Facta palam non posse dari regalibus unquam
Secretum uitijs, nam lux altissima fati
Occultum nihil esse desinit, latebrasq; per omnes
Intrat, & abstrusos explorat fama recessus.
Non par inuoluit iuuenem, senemque reatus

Et melius Iuuenalis inquiens.

Iuuen. *Sentiens animi uitium tanto conspectius in se*
Crimē habet, quāto maior, qui peccat, habetur,
Cumq; caput nutat, turbari mēbra necesse est,
Defluit in membra capitis iactura dolentis,
Defluit in riuos tabes cognata fluento,
Defluit in ramos uitium radicis amaræ,
Quis lunæ splendor, si sol lumem obumbret,
Quis graui fretus, si torpens languet arista,
In uulgus semper manant exempla magistri,
Hæc te propterea crebro sermone manebo,
Vt te totius medici telluris in orbem
Viuere cognoscas cunctis tua gentibus esse.

Seneca. *Et faciunt uerba Senecæ. Obiurgatio primum secreta, deinde publica emendare tentabit, si uerbo sanare ne quis ignominiam: continebis, uincula, & carcerem adhibebis, duriora remedia iam solida nequitia desiderat, si uerò pro scripsisti nequitiā, & in uisceribus immiscuisti, ut nisi, cum ipsis exire non possit, auferemus tibi istam, quam uexas, & qua uexaris, infamiam, & pro cuius cunque morbo medicina, queratur, hoc sanè uerecundia, hoc peregrinatio, hoc dolor, hoc egestas, hoc ferrum, corrigendus est itaque qui peccat, & admonitione, & ui, & molliter, et aspere, meliorque tam sibi, quam alijs faciendus, non sine castigatione, sed sine ira, quis enim, cui medetur, irascitur? nemo prudens punit, quia peccatum est, sed ne peccet,*

cet, reuocari enim præterita non poßunt, futura prohibentur. Et alibi: In multa luce fortuna te posuit, nullum secretum tibi liberum est, quæcunque facies, sic fac. q. spectet; omnia nobis mala solitudo imperat, uix inuenies, qui posßit aperto hostio uiuere. Ianitores conscientia nostra posuit, non superbia posuit, sic uiuimus, ut deprehendit, sic subito aspici. quia autem prodest recondere se, & oculos hominum, aures q; uitare, bona conscientia turbam aduocat, mala etiam in solitudine anxia est, atque sollicita, si honesta sunt, quæ facis, omnes scient, si turpia, quid refert neminem scire, cum tu scias, ò te miserum, si contemnis hunc testem. &c.

De corruptione peruersitatis malorum, necnon & negligentium Iudicum. Cap. XV.

Quoniam nonpulli Rectores, & Iudices miserabiliter corruptionis sorde corrupti, precijq; uenalitate peruersi, non solum quod auro uendunt iustitiam, sed insontens, & multoties iniuriosè condemnant, & crimina sine debita cohertione transire, sub alicuius peruersionis corruptela permittunt, & propterea simili pœna se

reddunt obnoxios, quam facinorosis, ac delinquentibus dissimulando concesserant, ut c. ne sac. bapti. l. fi. sequitur, ut de hijs uideamus post quã diximus de diuersis pœnis, et quod impunitũ nõ sit aliquod facinus relinquẽdũ, quod demõstrat August. non licet (inquit) iustitiam uendere, & si liceat aduocato uendere iustum patrocinium, & iurisconsulto rectum consilium. xi. q. 3. c. non licet. & quatuor modis humanum iudicium peruertitur, timore, dum metu potestatis alicuius ueritatem loqui pertimescimus; cupiditate, dum præmio animum alicuius corrumpimus, odio, dum contra quemlibet aduersarium molimur, amore, dum amico, uel propinquo obtemperare contendimus. ead. q. c. quatuor, & in c. quisquis, quòd si aliquis metu cuiuslibet potestatis ueritatem occultat, iram Dei super se prouocat, quia magis timet hominem, quam Deum, utrique reus est, & qui ueritatem occultat, & qui mendacium dicit, quia ille prodesse non uult, & iste nocere desiderat. Et hoc ideo fit, quia dum pauper non habet, quod offerat, non solum audiri contemnitur, sed etiam contra ueritatem opprimitur, cito uiolatur auro iustitia, nullamq; reus pertimescat culpam, quam redimere nummis existimat: ead. q. c. pauper. & ab omnibus exactionibus iudices abstinentes uigorem iudiciarium gratis studeant litigantibus impartiri, cum nec iustum

iudicium iudici uendere liceat, & uenales sententiæ ipsis, & secularibus legibus reprobentur. de uit. & honest. cleric. c. ab omni. præsidesq; gentium quicunque ciuiles administrationes habent prouinciarum, prius debent uti manibus, & omni abstinere acceptione pro illis solidis contenti, quæ à fisco dantur, quod non aliter fiat, nisi & ipsi singula sine mercede accipiant, nihil omnino dantes, nec occasione suffragiorum, neque hijs qui cingula habent, nec alij hominum ulli. considerauimus enim quòd licet quæstus immodicus imminuatur imperio, attamen nostris subiectis incrementum maximum suscipientibus, si indemnes à iudicibus conseruentur, & imperium, & fiscus abundabit utens subiectis locupletioribus, nec enim permittimus, quod officiales ad hanc acceptionem respicientes multos reorum dimittant uendentes eis delictum, plurimos autem in noxiorum condemnent, ut noxij præessent, & omnino una quædam est occasio malorum omnium, & accipere suffragium à iudicibus totius nequitiæ est principium, & terminus, est hoc sacrorum quoque eloquiorum mirabile, & uerum, quod auaritia sit mater malorum, & maximè quando non priuatorum, sed iudicum inhæret animabus, quis est? qui sine periculo nō furetur? quis non latrocinabitur sine reatu administratorem

respiciens, illum namque uidens omnia auro uendentem, & præsumens, quia quicquid egerit illicitum, hoc pecunias dando redimit, hinc homicidium, adulterium, & inuasiones, & uulnera, raptus uirginum, & commertiorum confusio, & contemptus legum, & sicut eos omni iniusto lucro prohibemus, ita etiam purè singulis utentes omni honore, & reuerentia, & honestate frui sancimus, erit autem absurdum, si eos quidem, qui in uilibus capiuntur furtis, ipsi torquebunt, & non primitus quiescunt donec reddat furta, ipsi autem innoxij manserint in maximis constituti furtis, & neque apud subiectos erubescentes exemplum. in auten. ut iudic. sin. quoque suffr. in princ. & per tot. & liceat patres suscipere magis iudices, quam fures, & sollicitatores, & eorum substantijs insidiantes, nec permittendum est priuilegijs aliquibus uti nocentes, sed id solum in auxilium ei obseruandum est, ut undiq; puri horum, quæ eis inferuntur, innoxij uideantur, præcipuè uerò officialis, retinebis, non permittens eas nostros subiectos (inquit Imperator) impellere, ne uideātur quidem subuertere pro ueritate, aut tuæ prosit uoluntati, in auten. de mand. princ. §. non permittas. nec potentiores uiri humiles iniurijs afficiant, neve defensores eorum calumniosis criminibus insectentur innocentes, ad religionem præsidis prouinciæ pertinet illicita ministeria sub

pretextu adiuuantium militares uiros ad concutiendos homines prouidentia deprehensa cohercere, & sub specie tributorum illicitas exactiones tributorum prohibeat, reprehensa exactorum illicita auaritia. ff. de offic. pres. l. illicitas, iudicem namque desidem, ac resupina ceruice tantum titulum gerentem extorrem impetrata fortuna, decem libris auri mulctandum esse disponit lex. c. de custo. reor. l. fi. nam iudicantes potentioribus magis, quam iustioribus uolentibus fauent, quibus non aliter sunt tradita cingula, nisi prius iusiurandum subierint hoc apertum, in omnibus iuste iudicare, & puras seruare manus. in auten. ut omn. obed. iud. §. ut licet. & omnis iudex siue cingulum habens, siue aliter iudicans custodiat leges, & secundum eas proferat sententiam, & uel si contingat iussionem in medium, uel si sacram formam, uel si pragmaticam procedere sanctionem dicentem aliter agi, sequatur legem, id enim uult Imperator obtineri, quòd suis est statutũ legibus, nec habere licentiam iudices in minus condemnare, quam statutum est, nec uideri clementiorem lege, quæ hoc disponit. in auten. de iud. §. oportet autem. & §. fi. quia non quicquid iudicis potestati permittitur, id subijcitur iuris necessitati. ff. de iud. l. non quicquid. ideo nouissimis iudicijs subditur iudex, qui cum debeat uindicare oppressum, ipsum opprimere reperitur, cum

sic debeat iudicare magnum ut paruum, nec sit apud eum acceptio personarum. c. nouit. de iud. & ibi diligentior fiat examinatio, ubi circa hominis salutem per sortem, uel gratiam cognitoris oppressa putatur iustitia. C. de appell. l. adductos. iudicibusq; immodice seuientibus, freni quidem tēperies adhibita uideatur. c. de cust. reor: l. si quis, quia male examinat uerum corruptus

Impera. *index: Vnde sunt uersus Imperatoris.*

Iudicis, & tetra inuoluit caligine mentem,
Cum semel obtinuit uitiorum inter aula
Pestis auaritiæ, quæ sola incarcerat omnes
Virtutum species; spreto moderamine iuris
Curritur in facinus, nisi leges Curia curat.
Et Alexander:

Alexan. *Si lis inciderit te iudice dirige libram*
Iudicij, ne flectat amor, ne munera palpent;
Nec moueat, stabileq; personæ acceptio mentē,
Quatuor ista timor, odium, dilectio, census,
Sæpe solent hominum rector peruertere sensus,
Iustitia in neutram declinet munere partem,
Muneris arguitur accepti censor iniquus,
Munus est anorma recti, distetq; acumen.

Ouid. *Turpiter ingenium munera corpus emunt,*
Precium si dona sequantur.

Alexan. *Gratia non sequitur, nec habent cōmercia gētes,*
Omnia conductor soluit mercede sequuta;
Non manet officio debitor ille tuo,
Gratia pro rebus multis debetur in emptis,

Non habet euentus sordida preda bonos.
Dat ueniam coruis, uexat censura columbas,
O dolor omnificit, creuit sententia nummis,
Iudiciumq; pium copia frangit opum,
Deuiat à uero corruptus munere iudex,
Facilecunque facit inopia gaza pium,
Non bene conducta uendunt periuria testes,
Non bene scelesti iudici archa patet. &c.
Nihilq; peius cum auro uenditur iustitia, eô enim iudex peiora facit, innocentesq; pessima, quia soluti, & ut pecuniam solutã refaciant, auri sacra fames quid nõ mortalia pectora cogit, ò quam mundus leta potiretur pace, si auari iudices ius non peruerterent, quid enim boni, cum officia sunt uenalia? quid optimi, cum malo aliqua sunt inchoata principio? & c.

De reprehẽsione, uel detestatione cupiditatis, uel auaritiæ. Cap. XVI.

POstquam dictum est de corruptione, & peruersitate malorum, necnon & negligentium iudicum, quia quatuor sunt potissime, quæ peruertunt humanum iudicium, quibuscunque iudicialis censura corrumpitur, & ueritas deprauatur, inter quæ cupiditas cunctorum radix & origo malorum principalis existit, quæ serui-

alimenta, non suũ usũ, sed abundantiam, & deli cias facit, nec enim minus est criminis habenti tollere, quam cum possis, & abundans sis, indigentibus denegare, esurientium panis est, quem tu detines, nudorum indumentum, quod tu recludis, miserorum redemptio, & absolutio est pecunia, quam tu in terra fodis, tantorum ergò scias te inuadere bona, quantis possis præstare, quod possis ead. di. c. sicut hij. unde fugiendus est amor pecuniæ, quasi materia cuncto rum criminum. xxiij. di. c. ijs igitur. & quem terrenæ sollicitudinis pondus deprimit, nè unquam ad superiora respiciat, sed solum hijs, quæ infimis calcantur, intendit. xxxxix. di. hinc & enim. §. gibbosus. habebat namque dominus lo culos fideliter oblata, & seruans, & suorum necessitatibus, & alijs indigentibus tribuebat, tunc primùm ecclesiasticæ peccuniæ forma est instituta, ut intelligeremus, quod præceptum non esse cogitandum decrastino, non ad hoc fuisse præceptum, ut nihil pecuniæ seruetur à sanctis, sed ne Deo propter ista seruiatur, & propter inopiæ timorem iustitia deseratur. ut Ambrosius de officijs demonstrat relatus à Gratiano in c. aurum, xij. q. ij. aurum habet ecclesia, non ut seruet, sed eroget, & subueniat in necessitatibus, quid est opus custodire, quod nihil adiuuat, an ignoratur, quantum auri, atque argenti de templo domini Aßyrij substulerunt: quia dum

quaeris usurpare, quod tuum non est, iusta animaduersione etiam illud cogaris ammittere, quod tibi aliquo modo competere uidebatur. xiij. q. i. in fi. & qui contra ius societatis humanae, furtis, rapinis, calumnijs, inuasionibus aliqua abstulerit, reddenda potius, quam donanda censetur Zacchei publicaui exemplo. cum non dimittatur peccatum, nisi restituatur ablatum, c. si res. xiiij. q. vi. c. peccatum de reg. iur. in vi. & unusquisquã sit contentus suo, & rem non expectet iuris alieni. c. fin. reg. l. si constiterit, cum per leges non concedatur alicui ex delicto sibi iniustum lucrum afferre. c. si cert. pet. l. fi. nihil enim potest perire nostris utilitatibus, si quae sunt aliena, reddantur. liiij. di. c. generalis. in fi. nam quis auarus quaerit compossessorem? quis donandi cupiditate inflammatus, uel fastu donationis elatus desiderat habere consortium? xxiij. q. vij, c. quod autem. nam effrenata cupiditas sui prodiga pacis aemula, mater litium, mater iurgiorum, tot quotidie noua litigia generat, ut nisi iustitia conatus eius sua uirtute reprimet, ius humani foederis litigatorum abusibus extinguetur, & dato libello repudij concordia extra mundi terminorum exularet, ut legitur improb. Decret. ideo reus temeritatis, ac uiolentiae retinebitur, atque in statum pristinum possessor reducetur, eò à petitione excluso, qui non dubitauit inuadere, quod petere

debuisset. c. de suffr. l. unica in fi. unusquisque enim suis fruatur, & non inuideat alienis. c. de thes. l. i. in fi. li. x. dabit enim eis pœnam exactio suæ malignitatis, cur trascenderit leges, ex quibus caute omnia agentes nihil poterat damnificari. est enim iustum, & pium acquirendi, non in percipiendo, sed solummodo pie agendo, oportet .n. ante exactionē cogitare, & agere, & non cogitans recte ad indeuotionē transfertur. in auten. de hered. & falc. §. si uero non fecerit, & §. sequ. & quid est, quod homo ad malitiam semel deditus non adinueniat, & aliorū res pro prias faciat in auten. ut hij, qui obli. in princ. & se nihil habere, qui non totum habeat arbitratur. c. qu. & quib. quart. pars deb. l. ij. unde feriatur auaritia legitimis ictibus. c. de inoffi. rē. l. si quis in suo. abijciamus ergo opera tenebrarū & caliginē cupiditatis, quia inquit Seneca, quod Seneca. *ex quo pecunia esse cœpit in honore, uerus honor noster cecidit, nemo istarū, quas diuitiæ in altiori ponūtur fastigio, magnus est, quia ergo magnū cū basi sua illū metitis, paruus est pomilio, licet in monte stet, clopsus magnitudinem suam seruabit, & si in puteo steterit, neminem extimamus, eo quo est si adijciamus illi ea, quibus adornatus est, si uis eum naturæ extimare, nudum inspice, ponat patrimonium, & honores, & alia fortunæ mendacia, quæ conditio rerū eadem est, & hominū, nauis bona dicitur, nō quæ pretiosis coloribus*

picta, nec argenteum, aut aureum rostrum est, nec cuius tutela ebore celata est, sed stabilis, & firma, & iuncturis aquam excludentibus, spissa ad ferendum maris incursum, cunabulo parens, uelox, & non sitiens uentum. gladius bonus est, non cuius baltheus est, nec cuius uagina gemmis distinguitur, sed cuius ad secandum subtilis est acies, & mucro munimentum esse rapturus, regula non quæ formosa, sed quæ recta sit, eo unumquodque laudatur quod sibi proprium est, ergo in homine quoque nihil ad rem pertinet, quantum aret, quantum fæneret, quam pretioso incumbet lecto, quā perlucido bibat poculo, sed quā bonū sit, seuior ignibus ethnæ feruens amor ardet habendi. & licet ista congerantur, numquam explebunt inexplebilem animum, quia auarus quanto plus habet, tanto plus diligit, sicut nullus humor sufficit ad saturandum eum, cuius desiderium non ex inopia, sed ex estu ardentium uiscerum oritur. non enim sitis illa, sed morbus est, naturalia desideria finita sunt, ex falsa opinione nascentia ubi desinant non habent, nullus enim terminus fictus est uiam eunti, ad extremum est, error immensus est, necesse est immensa exeat cupiditas, quæ ultra modum naturæ transibit, ille enim habet suum finem, inania ex libidine orta sunt sine termino. quia auida felicitas est in aliena felicitate exposita, malo ex inopiis satu-

ritatem. quã in copia famem, desunt inopiæ multa, auaritiæ omnia, in nullum auarus bonus est, in se pessimus, cui enim auarũ assimilabimus nisi cani? uidisti namque aliquem canem (secundum Senecam) missa frustra panis, aut carnis aperto ore captantem, quidquid exceperit, protinus deuorat integrum, & semper adiumenti spem inhiat, idem auaris euenit, quicquid expectantibus fortuna proiecerit, id sine ulla uoluptate dimittunt, statim ad rapinam alterius erecti, & attoniti. Vnde Anthiclaus.

Anthiclaus.

Faucibus infusum siccis ingurgitat aurum,
Explerique nequit sitis insatiabilis ardor.

Nam auaritia est genus, & ad omne lucrum in explebilis, nec montibus auri satiabitur, sed semper adit ante parata, & ut augeat uindicabis. Vnde Claudianus de auaro sic scribit.

Claud.

Quid uè sane ruis, teneas utrumque licebit
Oceanum, laßet rutilos tibi Lidia fontes,
Iungantur solium thiri, Cresæque thiaræ,
Numquã diues eris, numquã satiabile quæstu,
Semper inops, quicumque cupit.

Si enim auarus totum mundum posſideret, quid denique crederet posſidere, nec obolum? xiiij. q.iiij. c. quid dicam. semper auarus eget. Vnde Alexander.

Alex.

Quid tibi diuitijs opus est, quæ semper auaro
Exuriem pariunt, quanto tibi plura parasti,
Tanto plura cupis, & habendis acrius ardes

Sicque famem faciens, defectum copia nutrit.

Et Horatius.

Horat. *Perdidit arma, locum uirtutis, deseruit qui,*
Semper in augenda festinat, & obruitur re.

Namdum diuitias consequi uolumus (teste Seneca) in multis malis incidimus; diuitiæ sunt causa malorum, non quia faciunt, sed quia facturos inuitant, inflant.n. animos, & superbiam faciunt, inuidiam contrahunt, & usus eo mentem alienent, ut fama pecuniæ, & nos nocitura delectēt, quæ bona sunt, non corrumpunt animos, non sollicitant, extollunt quidem, & dilatant, sed sine timore, quæ bona sunt, magnitudinem animo dant: diuitiæ nec fiduciam, nec sinceritatem, sed ècontra insolentiam, tumorem, arrogantiam causant mala sibi, diuitiæ ergo bonæ nō sunt, nisi commodum quidem ferāt, cōmodum est autem, quod plus habet usus, quā molestiæ. Vnde versus.

Versus. *Quæ reuerentia legum*
Quis metus, aut pudor unquā properantis auari
Edidicit simulare fidem, sensusque minaces
Protegere, & blando fraudem pretundere risu,
Plenus seuitiæ, lucrique cupidine feruens.
Non carthеciatis ullum satiaret auarum
Tempestas pretiosa uagi, uel stagna rubentis
Aurea pautoli, totumque exauserit herinum
Ardebit maiori sili, quasi fallere mentes
Doctus, & unanimes odijs turbare sodales.

Nam quicquid aptam moderationem super

egreditur, horum priusquam usui exhibuerat, igitur & immodicæ diuitiæ uelut mergentia, et enormia gubernacula facilius mergunt, quã regunt: nec oportet ad numerum expensarum quærere & possessiones, hæc enim simul ad auaritiam, impietatemque perducunt; sed ex hijs, quæ sibi expensans quoque metiri. ut in auten. determ. sit num. cler. &c. nam nemini augmentum patrimonij, quod laboribus, & multis casibus quæritur, interdictum est, licet cõtraria ponat Iuuenalis dicens: his uersibus.

Summũ hercle nephas; animũ preferre pudori Iuuen.
Et propter uitam uiuendi perdere causam,
Sed uitio ceci propter patrimonia uiuunt,
Et propter uitam faciunt patrimonia quædam.

Et gratuita nobis videntur (inquit Seneca) quae carißime constant, ea sola putamus emi, pro quibus pecuniam soluimus, ea gratuita putamus, pro quibus nosmetipsos impendimus, quæ emere nolemus, si domus nostra eßet dãda, si amenũ, ac fructuosum prædium, ad ea parati sumus deuenire cum sollicitudine, cum periculo, cum iactura, pudoris, libertatis, ac tẽporis, adeo nihil est, omnique se uilius nostri essemus, si ista nostra non essent: quia nulla auaritia est sine pœna, quamuis satis sit ipsa pœnarum, o quãtum lachrimarũ, quãtũ laborũ exigit, quã misere desideratur, quam misere paratur, pecunia adijcit quotidianas sollicitudines, quæ pro modo habẽdi Seneca.

quoque discutiunt, maiori tormento pecunia possidetur, quam quæritur, quantum damnis ingeniscunt, quæ, & magis incidunt, & uidentur maiora; denique ut in nullis fortuna detrahat, quicquid non acquiritur, damnum est: plurimisque adminiculis (teste Boetio) opus est ad tuendam pretiosæ suppelletilis uarietatem, uerumque id est permultis indigere, qui multa possident; & esse in minimo, qui abundantiam suam naturæ necessitate, non ambitus superfluitate metiuntur. nam preclara est opum mortalium habitudo, quam cum adeptus fueris, securus esse desistis, nego id esse bonum, quod noceat habenti, nec omnino diuitias auare accepisti, ut eas suffodias, sed ut eas distribuas, si uellet (inquit Crisost.) eas Deus custodiri, nequaquã eas hominibus, sed ĩ terra potius dimisisset, dedisset, ideo discite põtifices in sancto, quid faciat aurũ: & quis locus tutus, aut quæ causa esse poterit excusata, si ueneranda Dei tẽpla pecuniis expugnentur, qui murus integritati prouidebitur, si auri sacra fames penetralia ueneranda proserpit, quid denique cautum esse poterit, uel securum, si sanctitas incorrupta corrumpitur; ceßet altaribus imminere prophanus ardor auaritiæ, & à sacris additis peculiare flagitium repellatur. c. de episc. & cler. l. si quemquam, quia seruit habens habitis (ut inquit Thobias) nec habet, sed habetur aurum,

cen-

sus habet, domino predominantur opes. & sic diuitias auarus habet (secundum Sen.) quemadmodum habere dicimur febrem, cum illa nos habeat; & uerè philosophantes contemnũt pecuniam, cuius retinendæ cupidine ficta aßeueratione detegunt. ff. de uac, mun. l. in honoribus. §. philo. Vnde Imperator. in. l. professio. c. de munn. patri. li. x. professio tua, & desiderium tuum inter se discrepant, cum philosophum te eße dicas, & uinceris auaritiæ cecitate. quia Deo nemo adeò dignus est, quam qui opes contemnit, cum dicat ipsa ueritas, facilius intrare camelum per foramen acus, quam diuitem in regno cælorum. Propterea inquit Hieron. in detestationem auaritiæ, quod ignominia sacerdotum est proprijs studere diuitijs, unde clericum negociatorem, & ex inope diuitem factum, quasi quandam pestem fuge: exemplum Christus nobis dedit, qui non habuit ubi caput reclinaret, & tamen uulpes foueas habent. Mat. cap. viij. qui dominum uult posſidere, audiat uerba domini: uade, uende omnia, quæ habes, & da pauperibus, ueni, & sequere me. Matt. cap. xix. melius est enim parum cum iustitia, quam multi fructus cum iniquitate. prouer. c. xvi. uidete, & cauete ab omni auaritia. Luc. xij. grauiterque punitur auaritia, ut legitur Amos. c. ix. apud auaritiam omnia mala eſſe ueteres dicebant, teste catone, quem refert gell. li. xi. noct.

attic. c. ij. & li. iij. cap. i. corpus, animumque hominis effeminat, meritoque idolorum seruitus dicitur, cum nummis, quasi Deo reuerentiam exibeat auarus. i. q. i. c. cum omnes. unde nullum uitium deterius auaritia secundum Tull. ij. de offic. exemplaque ponit Valerius Maximus li. ix. ca. iiij. auarus semper est tristis, nam ibi cor suum, ubi thesaurus suus. Matth. c. vi. quid quaeso cupis, si nudus uenisti, & nudus discedes? an credis, qd pecunia redimet te, ut nõ moriaris? & sic heres mundi fias, nihil magis te in ipso mortis agone stimulabit, quã ipsa pecunia sudore, & peccatis cumulata, si pro filijs tuã accelleras mortem, surge, surge auare extolle caput, et cogita, quod dominus noster propter paupertatẽ in alieno fuit positus loco, thesaurizas, & ignoras cui congregabis diuitias? psal. xxx. si enim Deus cuncta creauit propter homines, cur tu ea celas hominibus, sint denique mores sine auaritia contenti presentibus, cũ dicat dominus, ego nõ te deseram, nec te derelinquã. ad Hebr. xiij. & ad Coll. iij. detestatur auaritiã, originemque auaritiae describit Plinius de nat. hist. li. xxxiij. c. iij. & est malũ insanabile. iiij. Ethi. c. i. & li. ij. de rep. c. v. cũ auarus in accipiẽdo sit largus, in dando parcus. ij. Ethi. c. vij. nũquã expletur, nec satiatur cupiditatis sitis, ut inquit Cic. i. Paradox. neq; solũ ea, qui habẽt libidine augẽdi cruciatur, sed ẽt amittẽdi metu. &c. P. F. V. I. D.

De corruptione, & reprehensione timorum. Cap. XVII.

DE reprehẽsione, ac detestatione cupiditatis, et auaritiæ cũ diximus, quæ in iudicij distorquetur acumen, quia nõ nulli propter cupiditatis suæ miseriam, quæ uera sunt loqui, non audent, imo præsidialis authoritatis immemores, in tãtũ uituperabilis formidinis suæ corruptela uilescunt, quod honoris offensam, iurisq; uiolatione nõ timent, ut aliorũ poßint iniustas offensiones euadere, ne malis displiceant legum placida nõ seruantes, sequitur uidere de timore, quia cum uanus, & malus sit nulla extimatio sua. ff. de re iud. l. si quis ab alio. unde inquit Gregor. in c. quatuor. xi. q. iij. quod humanũ iudiciũ peruertitur, dum timore potestatis alicuius ueritatem loqui pertimescimus. & quisquis metu cuiuslibet potestatis ueritatem occultat, iram Dei super se prouocat, quia magis timet hominem, quam Deum, uterque reus est, & qui ueritatem occultat, & qui mendacium dicit, quia ille prodesse non uult, iste nocere desidera, ead. q. c. quisquis. & in cap. nemo: melius est pro ueritate pati supplicium, quam pro adulatione beneficium, & in cap. nolite timere: non solum ille proditor

est ueritatis, qui transgrediens ueritatem, pro ueritate palam mendacium loquitur, sed & ille, qui non libere ueritatem ex aliquo timore pronunciat, quam libere pronunciasse oportet, aut qui non libere ueritatem defendit, quam libere defendere conuenit, proditor est ueritatis, corde enim creditur ad iustitiam, oris autem confessio fit ad salutem. & satis necessarium deliberationis erit auxilium hominibus formidolosis, qui & ea timent, quæ nulla digna sunt suspitione. c. de iur. deli. l. scimus, metum enim non uani, & meticulosi hominis, sed qui merito, & in hominem constantissimum cadit, ad legis edictum pertinere dicitur: Gaius in. l. metum autem. ff. quod met. caus. nulla extimatio est, neque uanitati timoris est. quia metu hominis non debemus contra diuinum præceptum, in immane precipitium mergi, in hæc certe magis se reprehensibilem ostendit, in quo amorem Dei amori mundi præposuit, cum nec & occisores corporis sint timendi contra iustitiam hominis impellentes. xxxi. q. ij. c. Lotharius. quia cum pudicitia sit uirtus animi potius qualibet mala tolerare, quam malo consentire

Seneca. *decernit. xxxij. q. v. c. ita nè. Vnde Seneca. Multa bona nostra nobis nocent, timoribus .n. torquemur, cum tormentum memoria reducit, prouidentia anticipat, nemo tamen presentibus miser est, plura sunt, quæ nos terrent, quam quæ*

premunt, ne sis miser ante tēpus, illa, quæ uelut imminentia expauisti fortaße nunquam uentura sunt, quedam nos magis torquent, quam debent, quædā torquent eum, quæ omnino non debeant, quædam torquent antequam debeant, aut agemus dolorem, aut frangimus, aut percipimus. item aut presentibus torquent, aut futuris, de presentibus facile iudicium est, si corpus tuum liberum est, sanum est, non nullis ex iniurijs dolor est, circa futura, primum aspice, an certa argumenta sunt uentura mala, plerumque enim suspicionibus laceramur, & illudit nobis, quæ conficere bellum fama solet, non discutimus illa, quæ nos ad metum deducunt, sed trepidamus, & supra terga uertimus, quemadmodum illi, quos puluis motus fuga pecorum exire fecit de castris, aut quos aliqua fabula sine auctore sparsa cōtriuit, item tria sunt genera timendorum, timetur inopia, timentur morbi, timentur magisquam pium potentioris eueniunt, & fortissimus plerumque uir, cum armaretur expalluit, & supra pugnæ dato ferocissimo millia genua timuere, paululum, & magno imperatori, an quæ intus se acies arietare, & cor exiluit eloquentissimo cantori, cū ad dicendū cōponitur, summa riguerūt, hinc Vergilius. degeneres animos timor arguit, nō nūquā animus falsas immagines sibi depingit, aut uerbum, aut duræ significationis detorquet impetus, aut ma

iorem offensam proponit sibi alicuius, quam ueluti pueri trepidant, atque omnia cecis mentibus metuunt, ita nos in luce timemus, immo omnia nobis facimus timentibus, nihil uidemus, ne quid noceat, nequid expediat furiosa res est in tenebris impetus. Vnde Ouidius.

Ouid. Sic timeat, quicunque timet, ne molle timoris
Spe careat, grauis est spe fugiente timor,
Sæpe minus faciũt homines, qui magna minãtur
Sæpe gerit nimios causa pusilla metus.

Quid enim est metus nisi mali expectatio? ut inquit phil. iij. Ethi. c. vi. mala, & ea, quæ terrorem, & molestiam incutiunt timentur, & dicitur dolor, & trepidatio animi, qui contrarius est hominibus, qui, ut uiri fortes timorem à se abiicere debent, quia homines timidi, atque metuentes, etiam uocem metuant, timidi. n. proprium est fugere molestiam, & mortem sibi ipsi consciscere ut per philos. 2. Rethor. cap. xiij. metus namque, ut diffinit Vlpi. in l. i. ff. quod met. caus. est instantis periculi, uel futuri causa mẽtis trepidatio. & de mẽte Cic. li. iiij. Tuscul. quid boni timor adducit? sanguinẽ contrahit, ut differit Gellius. li. xix Noct. atti. cap. vi. dũ dißerit causam pudoris, et timoris. quod dixit phil. li. iiij. de part. anim. c. ij. & uẽter propter timorẽ effluit, rationem adducit Gell. eod. libr. c. iiij. et Phil. prob. xxvij: Sett. q. ix: homo rationi subditus non timet, sed prouidet, fortiq; animo præuenit audaces fortuna iuuat, timidosq; depellit, mẽtus est

motus animi interior subitus, factus ex aliqua tristi recordatione, sine aliquo terrore. et aliquã do seruo timidus æquiperatur, inde dictus timor seruilis. 23. q. 4. §. ex hijs. est et timor naturalis, quẽ Christus habuit, & alij perfecti, quia humanũ est timere eũ, qui potest deprimere, & erigere. 16. q. 2. c. 1. 7. q. 1. c. fi. et timor filialis, qui sanctus, uel castus dicitur di. §. ex hijs. et quod dicitur. in. c. accusatores: 3. q. 5. malus timor homines hebetat, Vnde sunt Versus. Versus.

Ne timeas, si forte times, assume timentis
Non animum timidi, quando subit hostia mẽtis,
Sit timor hospes, ibi non incola disce timere,
Si timeas, sine teste timeas, mentisq; timorem
Ignoret facies, quia si timor intimus ora
Corripit, emacerat animus iucundior hostem
Nutrit, & impinguat, & gaudia suggerit illi
Et suggeres tua membra dolor consultius, ergo
Si timor incuruet animum, simulatio uultum
Erigat, & Clipeo uultus succurre timori:
Vt si mens timeat, facies uelit ipsa timeri,
Imo magis sperare uelit, pudeatq; timentem
Vlgari pallere, metu si posse sit arcum
Dilates animum, si corpus debile, mens sit
Fortis, ut exiguas uires supplere memento
Spe grandi, facti leuitas cuicumque rebelli
Fit leuis, ergo uelis, & erit leue nulla uenti

Solus Dei timor commendatur, cum plurimas sic timenti det uirtutes, pariterq; multa tribuat.

gaudia, ut scribitur cap. i. Eccles. dominũ tuum timebis, & illi soli seruies. Deut. vi. & cap. x. & beatus uir qui timet dominum. psal. 111. timentibusque se dat Deus hereditatẽ. ps. lx. et psal. 144. uoluntatẽ timentiũ se faciet, et deprecationẽ eorũ exaudiet, & saluos faciet eos. &c.

De dilectione, & quales esse debeant, uel requirantur amici. Cap. XVIII.

POstquã dictũ est de corruptione, & reprehẽsione timoris, quia nõ nullos à ueritate peruertit amicalis affectio, quo minus recti iudicij librã sub æqualitate dispensent, sed in partẽ alterã declinãtes, nõ uiã rectitudinis timiditate satis insolẽter oberrant, & p deuia quoque distracti, finẽ debiti cursus attingere nequeunt, cũ uix bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio. i. q. i. c. principatus, sequitur uidere de dilectione sed quia uerus amor amicorum, quos honesta, nõ improbabilis causa cõiunxit nullatenus reprobatur, dicemus & quales esse debeant, et requirãtur amici. unde in c. quicũq; xi. q. iij. quicũque aut cõsaguinitate, aut amicitia in iudicãdo ducitur, puertit iudiciũ Christi quidẽ iustitia, & fructus illius uertitur in damnationis amaritudinem. & in. c. quatuor: humanum iudicium per

uertitur amore, dum amico, uel propinquo obtem perare intendimus. nam propinquitatis, & fami liaris affectio ueritatem impedire solet, amor carnalis plerumq; sensus hebetat humanos, & peruertit opiniones. 3. q. 5. c. accusatores. quia amicos appellare debemus non leui notitia con-iunctos, sed quibus fuerunt iura cum patrefam. honestis familiaritatis quæsita rationibus. ff. de uerb. sign. l. late. §. amicos. & flagitiosæ rei so cietas scolita nullam uim habet, quia delictorũ turpis, & fœda communio est. ff. prof. l. quod autem. & cum inter nos cognationem quandam na tura constituit, consequens est hominem homini insidiari nephas esse. ff. de iust. & iur. l. ut uide tur. & satis, abundeq; sufficit, uel in una specie per amici laborem domino consuli. ff. de admin. tut. l. tutores. §. i. Vnde Boetius, ô fœlix hominũ genus, si uestros animos amor, quæstio cœlum regitur, regat, & omne, quod iudices, quæstio diuina, atq; humana controuersia super unum est membrum (authore Seneca) sumus cordis magni, natura cognatos nos edidit, hec nobis amorẽ mutuum indidit, & satiabiles fecit. & Cic. de amicitia. quod est omnium diuinarum, atq; humanarum rerum cum beneuolentia, & charitate consensio amicitia, amor, ex quo amicitia dominatur princeps est ad beneuolentiam coniũgẽdam, si exemeris ex rerum natura beneuolentiæ uirtutem, nec domus ulla, nec urbs stare po-

Boeth.

Seneca.

Cicero.

terit, nec agrorum quidem cultus permanebit: amicitia rebus omnibus anteponatur, nihil est enim tam aptum, tamquam conueniens ad res secundas, uel aduersas, nam secundas res splendidiores facit, aduersas uerò leuiores, nihil melius amicitia, excepta sapientia, homini datum est, licet alij diuitias, alij bonam ualetudinem, alij potentiam, alij honores, multiq; uoluptatem præponant, quid dulcius, quam habere amicum, cum quo omnia sic loqui audeas, sicut tecum? ciues potentiores sunt, quam peregrini, propinqui, quã alieni, & Seneca. dulce est amare amantem sed dulcius ipsum amorem in remedium cedere honesta solatia, & quicquid animum rexerit corpori prodest, nihilq; ægrum adiuuat, quam amicorum affectus, nihil ei expectationẽ mortis, ac metum subripit. omnia cum amico delibera, de ipso prius, cogita autem an aliquis in amicitiã sit recipiendus, cum placuerit fieri, totum præto ri admitte, tam audacter cum illo loquere, tamquam tecum, quidam, quæ amicis tantum committenda sunt, obuijs narrant, & in qualibet aure, quicquid illos exurit exonerant, quidam, & clarißimorum conscientiam reformidant, & si possunt, non sibi quidem credituri interius præmunt omne secretum, & ita familiaris esto, ut putes extraneum te, quandoq; futurum, habui amicos, tamquam ammißuros, amißi, tamquam habeam, quidam neglegintißimè amicos habet,

Seneca.

ſed cum ammiſerint effuſius merent, eſt hæc natura mortalium, ut nihil magis placeat, quam quod ammiſſum eſt. propterea non eſt amicus, qui omne, quod ad amicum pertinet, non putat ſuum, conſortium omnium rerum facit amicitia in commune illius utitur. non poteſt quiſquam bene uiuere, qui ſe tantum intuetur, qui omnia ad utilitates ſuas conuertit, alteri iuues, oportet, ſi tibi uis uiuere: quis ſolus bonus, quis bonus ſolus, uirtus amicitiam gignit, (ſecundum eundem Tull. eod. libr. de amic.) & continet, nec ſine uirtute amicitia eſſe poteſt, tanta uis probitatis eſt, ut eam in hijs, quos numquam uidimus, & quod maius eſt in hoſtibus etiam diligamus, hæc lex in amicitia ſciatur, ut nec rogemus res turpes, nec turpia faciamus rogati, nulla eſt excuſatio peccati, ſi amici cauſa peccaueris, in amicitia nihil fictum, nihil ſimulatum, ſed quicquid eſt uerum, & uoluntarium eße debet. & cõfirmatur amor ex beneficio accepto, ex ſtudio perfecto, ex cõſuetudine adiuncta, ex quibus rebus amicabilis quædam exardeſcit beneuolentiæ magnitudo, nimis eſt exiguum, ut exile ad calculos uocari amicitiã, ut par ſit ratio acceptorũ, & datorũ, nec .n. uerendũ eſt, quid excedat, aut ne quid in terra defluat, aut ne plus quid in amicitia cõgeratur. Vnde Thobias in Verſibus. Cicero.

Sũt in amore gradus tres, triplex gratia fundat, Tobias.
Prima ſecula fouet, tertia firmat opus.

Fundat origo, fouet progreßio, fœdus amicum,
Obsequio solidatur continuata fides,
Prima ferit fœdus, rigat altera, tertia messem
Siccat, & orreolo conciliare studet:
Nutritura triplex tenero tribuatur amori
Te duce in foueas semina meßis obit
Fœdus alit morum par gratia, par studiorum
Vsus in obsequijs alterutrata fides.

Est enim propinquitate fidelior amicitia, Cato namque potius uoluit amicitiam Pompei, quam eius affinitatem, ut in uita Catonis scribit Plato. nu. si. an autem pro amico sit aliquando delinquendum discurrit Gellius. lib. pr. c. 3. ex mente Teophrasti, & Cicer. amicus esse quis debet, & cognoscitur magis in aduersis, quam in secundis rebus. ut scribit Val. max. li. 4. c. 7. de amicitia in prob. vbi inter uaria exempla Damonis, & Pithie recitat historiam, charum est amoris uerbum ex quo amicitiæ nomen ductum est, & amici dicitur una anima in pluribus corporibus, quia amici quodammodo affines, & coniuncti sanguine censentur. C. de leg. l. cum rem alienam. Vnde Archita Tarentiuus si in cœlum ascenderet, mundiq; naturam, & syderum aspiceret, sine amico pulchritudinis admirationem futuram sibi insuauem, propterea dispositio. l. ut uim: ff. de iust. & iur. & in amico procedit, qui pro amico etiam sine mandato agit. l. i. l. atqui natura. §. cum me absente. ff. de neg. gest.

cum consideratio amicitiæ par sit cum affectione sanguinis, & plus valet amicus, quam aurum in capsa, quia amicorum uirtus est in amando, & amicorum bona communia sunt. ideo dixit. phil. 2. de rep. c. 2. quod amicitia in ciuitatibus nihil est melius, quæ cum sit propter uirtutem, dicitur propriè amicitia. phi. 9. ethi. sed hodie sunt amici secundum gl. in l. rem legatā. ff. de adim. leg. cum fueris felix multos numerabis amicos, tempora si fuerīt nubila solus eris. de amicitia, amicoq; scripsimus in nostris practicis miscellaneis quæstionibus. in l. a nu. &c.

De commendatione Charitatis. Caput XIX.

Q*Via non est uerus, nec uirtuosus affectus, nisi qui Charitatis fonte procedit, sine cuius consortio totius uirtutis uilescit authoritas, & flos cuiuslibet, & bonitatis arescit, nisi liquoris huius sacietatis uirescat, de renunc. c. nisi cum pridem, ideo postquam diximus de dilectione ad charitatem transeamus. charitas est, ut mihi uidetur, recta uoluntas ab omnibus terrenis, ac presentibus prorsus aduersa, iuncta uerò Deo inseperabilis, & igne quodam Spiritus sancti, à quo est, & ad quem refertur incensa, inquinamenti omnis extranea, corruptionis nescia, nulli ui-*

tio mutabilitatis obnoxia, super omnia quæ carnaliter diliguntur excelsa, affectionum omnium potentißima, diuinæ contemplationis auida, in omnibus semper inuicta, summa actionum bonarum, salus morum, finis cælestium præceptorum, mors criminum, uita uirtutum, uirtus pugnantium, palma iustorum, anima sanctarum mentium, causa meritorum bonorum, præmium perfectorum, sine qua nullus placuit Deo, cum qua non potuit peccare aliquis, nec poterit. fructuosa in pœnitentibus, læta in profitētibus, gloriosa in perseuerantibus, uictoriosa etiam in martiribus, operosa in omnibus omnino fidelibus, ex qua quicquid est boni operis uiuit, sicut enim sine uia nullus peruenit, quo tēdit, ita sine charitate, quæ dicta est uia, non ambulare poßunt homines, sed errare. de pœni. di. 2. cap. charitas est. & in cap. si quis semel. si charitatem habeamus facile peccato resistimus, bonis omnibus abundamus, seculi blandimenta contemnimus, & omnia, quæ difficilia sunt humanæ fragilitati, uel aspera, etiam cum dilectione perficimus, debemus etiam in amore seruare modum legitimum non per uirtutem dilectionis ordinem constitutum, ordinem dilectionis illi peruertunt, nec modum diligendi custodiunt, qui aut mundum qui contemnendus est diligit, aut corpora sua minus diligenda plus diligit, aut proximos non sicut seipsos, aut Deum plusquam seipsos forte non

diligit, proximos autem tunc diligimus sicut nos; si non propter aliquas utilitates nostras, non propter speranda beneficia; uel accepta, non propter affinitates; uel consanguinitates, sed propter hoc tantum, quia sunt naturæ nostræ participes, diligamus. etsi aut radix omnium malorum est cupiditati, ita radix omnium bonorum est charitas; simul ambæ esse non possunt, nisi una radicitus euulsa fuerit, alia planta ri non potest; sine causa aliquis conatur ramos incidere, si radicem non contendit euellere ead. di. §. ex præmißis: unde in epist. Petri, Deus charitas est; & qui manet in charitate in Deo manet. nam charitas dicitur dilectio, qua diligitur Deus propter se, proximus propter Deum, uel in Deo, charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per spiritum sanctum qui datus est nobis. ad rom. 5. Vnde charitas maior fide, ac spe. prima ad Cor. 13. nemo enim repentine fit summus, sed in bona conuersatione, quam sine charitate nulla animus cuiusquam inchoatur, ut ad maiora, uel magna perueniat, ipsa quandoque uirtus, quasi quibusdam gradibus augetur, & supra per incrementa multorum ad summam perducitur, alia namque sunt uirtutis exordia, aliud perfectus, aliud perfectio, si enim & ipsa fides ad perfectionem suam

non quibusdam gradibus duceretur, sancti apostoli minime dicent augete in uobis fidem. quippè si quocumq; uirtutum flore refulgeas, & in te nõ habeas charitatem nihil comprobaris habere. de renunc. c. nisi cum pridem. quia regnum Dei acquiritur in amplitudine charitatis, non in sublimitate graduum. de temp. ord. c. ad aures. & sicut maius bonum minori bono præponitur, ita communis utilitas spirituali utilitati præfertur, & in hoc rectè præponitur doctrina silentio, sollicitudo contemplationi, & labor quieti, ad quod utiq; designandum unigenitus Dei filius Iesus non de Rachele secundum carnem natus est, sed de Lya, nec legitur eum in domo sua Maria recepisse, sed Martha, unde quãdo potest aliquis præesse, pariter, & prodesse, non debent cedendi postulare licentiam, aut etiam obtinere, quia charitas est fons proprius, cui nõ comunicat alienus. de regul. & trans. c. licet. charitas enim operit multitudinem peccatorum. de bactis. c. maiores. Vnde Anticlaus in suis versibus inquit:

Quæras quem uero sic contemplaris amore,
Illesaq; fide, quod amor lucretur amorem
Alterius, remouetq; nouos nouus alter amores
Sitq; relatiua dilectio, mutuus ad sit
Nexus amicitiæ, quam non fortuna, uoluntas
Soluat, nec agitet liucr, nec gloria frangat:
Nubere uirtuti uirtus lætatur honestas,
Et Thobias

Gaudet

Gaudet honestati comparis esse comes,
Consonat, & melius redolet iunctura bonorum Thobi.
Gratior est flos, cum flore, colore color.

Charitas igitur est appetenda, quia finis omnium peccatorum, & operit multitudinem peccatorũ. xxiij.q. iiij.c. ipsa pietas. Vnde ad Ro: c.viij.scimus, quia diligentibus Deũ omnia cohoperantur in bonũ, & propterea non habens ueste̅ nuptiale̅ (idest charitate̅) eiectus est de nuptiis. Hest.4.c.quis.11. charitate̅ habere nõ studebit, cũ Deus sic dilexit mundũ, ut unigenitũ filiũ suũ daret, ut omnis, qui credit in eũ, saluus sit. &c. Ioan.iij. & maiore̅ charitate̅ nemo habet, ut ponat quis animã pro amicis suis. charitas grata, & spontanea, sicut nos dilexit Deus, commendatur, qui cũ inimici essemus Deo, reconciliati sumus per morte̅ filij eius. ad Rom.c.v. nõ naturalis, aut carnalis, quia scriptum est abnega temet ipsum, unde meritò est scriptum apud Isai.c.v. quid ultra debuit facere, quod non fecit. ideo exclamat Propheta. psal. viij. quid est homo, quod memor es eius, preciosa igitur, & principalis uirtus est charitas, quia scientia inflat, caritas edificat. prima ad Cor. viij. unquam commendat idem Apost. ibi. c. xiij. dicens. si linguis hominũ loquar, & Angelorũ, charitate̅ aute̅ non habeã, factus sum uelut æs sonans, aut cymbalũ tinniens, & si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam, & si

habuero omnẽ fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero nihil sum. &c. per tot. Vnũ est ergo opus charitatis, quo remissionem peccatorum, & uitam æternam consequimur, de qua præclarè August. ps. 89. quod oĩa bona opera nostra unũ opus est charitatis &c.

De liberalitate, & quis modus sit in liberalitate seruandus. Cap. XX.

POstquã dictum est de charitate, quæ radix est bonorum omnium, uirtutum singulariũ decor, summa bonorũ actuum, criminum mors, cunctorum finis præceptorũ cælestiũ, perfectioq; censetur. de pen. di. ij. §. si quis semel. sed quia liberalitatis effusio principalis charitatis est filia, quæ primogenitæ decus anticipat, cum nõ sit euulsa radicitus auaritiæ pestis. hæc plãtari nõ ualet, ead. di. §. ex præmissis. ideo sequitur de ipsa uidere, unde scriptum est in. c. prædicator. 16. q. i. quod beatius est dare, quam accipere, nec debent filij thesaurizare parentibus, sed parentes filijs, & 86. di. c. non satis est. bene uelle, sed bene facere, nisi id ex bono fonte, hoc est ex bona uoluntate proficiscatur, itẽ perfecta liberalitas, fide, causa, loco, tempore uè cõmendatur. & consideranda est etiam in largiendo ætas, atq; debilitas, nonnumquam & uerecundia, quæ ingenuos-

prodit natales, ut sæuibus plus largiaris, qui si-bi iam non quæunt uictum quærere, similiter & debilitas corporis promptius est adiuuanda, cum si quis ex diuitijs cecidit in ægestatem, & maxime si sine suo uitio, si aut latrocinijs, aut proscriptione, aut calumnijs, quæ habebat amiserit. ead. di. c. consideranda est. item probanda est etiam alia liberalitas, ut proximos semini tuo non despicias, si ægere cognoscas, melius est .n. ut ipse subuenias tuis, quibus pudor est ab alijs sumptum deposcere, aut alicui postulare sumptum necessitatis nisi, tamen, ut illi ditiores fieri uelint, ex eo quod tu posses conferre in opibus, causam enim natura prestat, non gratia, nec enim propterea te Deo dedicasti, ut illos diuites facias, sed ut tibi uitam perpetuam fructu boni operis acquiras. 66. di. c. cō probanda. misericordiæ tantum ipsius mensura seruetur, pro possibilitate conditionis humanæ, ut non sibi unusquisque totum eripiat, sed quod habet cum paupere partiatur. c. in singulis. 86. di. & pastor ecclesiæ hijs, quibus sua sufficiunt, non debet aliqua erogare, quandoquidem nihil aliud sit habentibus dare, quam perdere. i. q. 2. c. pastor. & gloria Episcopi est pauperum prouidere opibus, ignominia sacerdotis proprijs studere diuitijs, natus in paupere domo, et in tugurio rustico, qui uix milio, & cibario pane rugientē uentrem saturare po-

teram, nunc similã, & mellã fastidio, multi edificãt parietes, et columnas ecclesiæ subtrahunt, marmora nitent auro, pendent laquearia gemmis, altare distinguitur, & ministrorum Christi nulla est dilectio. xij.q.ij.c.gloria Episcopi. & ead.q. c.pen. bonæ rei dare consilium, & presentis uitæ habetur subsidiũ, & æternæ remunerationis expectare noscitur præmium. & Crates ille Thebanus homo quàm ditissimus cum ad philosophandum Athenas pergeret, magnum auri põdus abiecit, nec putauit se posse, et uirtutes simul, & diuitias possidere, nos suffulti auro Christũ paupẽ sequimur, et sub pretextu ælemosinæ pristinis opibus incubantes, quomodo possumus aliena fideliter distribuere qui nostra timide reseruamus, plenus uẽter facile de ieiunijs disputat, nõ Ierosolimis fuiße sed Ierosolimis bene uixiße laudãdus est. ead. q.c.gloria Episcopi.§. item eiusdẽ. l'ult. deniq; si nõ potest alter alteri subuenire nisi alter ledatur, cõmodius est neutrũ iuuare, quã grauare alterum. xiiij.q.v.c.deniq; quia in alterius iniuriã beneficia tribuere princeps denegat.c.de emanc.lib.l.nec auus. & hãc sibi quodamodo nobilitas legẽ ponit, ut debere se, quod sponte tribuit existimet, & nisi in beneficijs suis creuerit, nihil se præstitiße putet.c.i.de donat. quia ubi paterfam. est largus, dispensator non debet eße tenax. xxvi. q. vij. c. alligant in fi. nullo.n.modo, qđ dominus iubet seruus bonus

probibet.28.q.i.c.sic.n.neq;quia causa liberali tatis à criminatione seperata est.de don.c.cũ di lecti filij.& c.de don.int. uir.& uox.l.si mari tus in final.uerbis.& si expositos quodamodo ad mortẽ liberalitas misericordiæ amica collegit, nõ suũ dicere poterit,quã pereuntẽ cõtempserit. quid.n.causetur Imperator ne meliora det,quasi plurima Deus dedit habere,& multorũ dominũ esse,& facile dare; & maxime in sanctissimis ecclesiis,in quibus optima mẽsura est donatarũ eis rerũ immensitas. §.finimus.in auten.de non alien.aut permut. & donatio collaudabilis est, merces enim eximij laboris appellãda est.ff.de donat.l.si pater,quia adijuuari nos oportet bene ficio,nõ decipi.ff.com.l.in comodato.§.sicut uti lius nãq; exurienti panis tollitur si de cibo se curus iustitiã negligat,quã exurienti panis fran gitur,ut seductus iniustitiæ acquiescat v.q.v.c. non omnis,pulchra quoque liberalitas est in ipso quoque pauperis dato mensurã tenere, ut abun dans pluribus,non conciliandi fauoris gratia ul tra modũ fluere, quicquid enim ex affectu puro, ac sincero promittitur, hoc modestum,non super fluũ,est.86.di.c.pulchra, quod .n.teneamur au di Ambros. in libr.de offic.pasce fame moriẽtẽ. quisquis.n.pascẽdo hominẽ seruare poteris,si nõ paueris,fame occidisti.c.pasce. ead. di.in cuius capituli amplissimam dabimus typis repetitionem, si Deus,à quo cuncta bona procedunt seruo

suo temporis spacium prestabit, cum ibi miseri cordiæ diuinæ, pariterque iustitiæ largum campum tractabimus, modus tamen est seruandus, ut prius pascas parentes, nam iuxta diuinum oraculum, contumelia parentis æterna morte punitur, quanto magis fames, quæ multo grauior est, quo loco insolentem, & dominus infrenat iactantiam. ead. dist. c. cæterum, &

Seneca. *beneficium est beneuola actio (secundum Senecam) tribuens gaudium cupiensque tribuendo, & in id, quod facit prona, sponte sua parata, gratissima sunt beneficia parata facilia occurrentia, ubi nulla fuit mora, nisi accipientis uerecundia, optimum est antecedere desiderium cuiuscunque, proximum sequi, id melius, si occupamus, antequam rogemur, properet, licet beneficium sero dedit, qui roganti dedit, ideo dominanda est uoluntas cuiuscunq;, & causa intellecta est necessitate grauissima rogandi, liberanda est, illud beneficium iocundum, ualiturumque magis scias, quod obuiam uenit. Vnde sunt Versus.*

Versus.
Magnarum largitor opum, largitor honorum,
Pronus, & in melius gaudens conuertere facta.
Ante uenit tempus non expectantibus ultro
Munificus magni geminatur gratia doni.

Et nihil æque in beneficio dando uetandū est, quam superbia, quasi opus est arrogantia uultus quid tumore uerborum, ipsa res te extollit,

detrahenda est inanis iactantia, res loquitur no bis tacentibus, ò superbia non à te accipere iuuat, quicquid das, corrumpis, non tantum ingratum, sed iniustum est beneficium superbe datum, multos experimus ingratos, plures facimus, qui alias graues exprobatores, exactoresque sumus, alias leues, & quod paulo plus muneris sui pæniteat. alias quæruli, & momentaneæ calūniantes gratiam omnem corrumpimus, non tantum postquam dedimus beneficia, sed etiam dum damus, dementia est corripere, cui das, & inserere contumeliam meritis, itaque non sunt exasperanda beneficia, nec quidque tui est miscendum, & si quid de quo amauere uelis, à tempore eligito, Vnde Ouidius. Ouid.

Atria nobilium ualuis celebrantur apertis,
Crede mihi, res est ingeniosa dare,
Et maiestatem res data dantis habet,
Acceptissima semper munera sunt,
Actio, quæ pretiosa facit.

Et Horatius. Horat.

Prodigus, & stultus donat, quæ spernit et odit

Et Iuuenalis. Iuuen.

Et titulis, & fascibus olim maior habebatur donandi gloria.

Quibus ēt adstipulatur iucundos Esopus dū inquit, Esopus.

Quilibet, et est tāti munera quāta facit.

Et recto in eis est ordine procedendum, quia primum (authore Seneca) dāda sunt necessaria, deinde utilia, deinde iocunda, quæ si preciosa na

tura non sunt, tempore, aut loco fiunt, idque cauebimus ne munera superuacua mittamus, ut fœminæ, aut seni arma uenatoria, aut rustico libros, aut litteratis dedita retia, quædam nocitura impetrantibus, quæ non dare, sed negare beneficium est, extimabimus itaque utilitatem, plusquam uoluntatem petentium, exhortari in pernitiem rogantium, sæua bonitas est, quemadmodum misericordiæ est opus uoluntatem rectam seruare, in rogantibus pestifera largiri, blande, & affabile odium est. unde promittas raro, & da crebrius, immo petentem munere præuenias, ne sit res empta rogatu. quia non tulit gratis, qui cum rogaßet accepit, nullaque res est charior, ut ait Seneca, quam quæ præcibus empta est. ideo non est negligenter dandum, nec tarde, quia qui tarde dedit, tamdiu noluit, quamdiu petebat, æquiore animo quidam ferunt spem suam præcindi, quam trahi. ingratum est beneficium, quod diu inter manus dantis exit. quod quis ægrè dimittere uisus est, & supra dare, tamquam sibi eripiatur, & si quid interuenit moræ, uitemus omnino, ne deliberaße uideamur, proximus est à negante, qui dubitauit, nullamque impetrat gratiam, omnis benignitas properat, propriumque est libenter facientis facere cito, quod demonstrat Thobias dicens.

Est dare leticie uox, verbum nobile, verbum Tobias.
Mellifluum, dantis gratia, dantis honor,
Est rogo uox miseri, uox importuna pudoris
Prodiga mæroris, plena fauoris ægens.

Et quidam philosophus interogatus (scribit Senec.
Sen.) quid Deo simile faceret, ait habere, & præstare, hoc ideo solum est in commodum paupertatis, quod non potest egentibus subueniri maxime, ubi olim abundantia fuit, hoc enim secundum Boet. est infelicissimum genus infortunij ut in c. consideranda. 86. di. xi. q. 3. c. pauper, ut si non quantum uelit, quantum poßit 82. di. cap. pr. cum molestum, & onerosum uerbum dimißo uultu dicendum est rogo: quis nostrum contetus fuit, aut leuiter rogari, aut semel, quis non cum aliquid à se peti suspicatus est, frontem abduxit, uultum auertit, occupationes simulauit longis sermonibus, & de industria non inuenientibus exitum, occasione petendi abstulit, & uarijs artibus neceßitudinem properantis elusit, in anguste uero comprehensus, aut distulit, aut pro misit difficulter; sed subductis superciliis, sed malignis, & uix exeuntibus uerbis, gratus aduersus eum quisquã esse potest, qui beneficiũ, aut superbe eiecit, aut iratus impegit, aut fatigatus, ut molestia careret, dedit, errat si quis respõ sum sibi putat, qua rogatione lapsum expectatione diu torsit, beneficia nec dare scimus, nec accipere, & ideo sequitur, ut male tollata, male

debeantur, periere enim, tunc cum darentur igno rantia quorundam beneficia silentium, aut loquē di immittat grauitatē, tristitia corrumpit, cum promittunt uultu negantium, sic demus, quemadmodum uellemus accipere. ut Ficticius demōstrat.

Da facile laeta, sine laetitia faciei
Fictic. Si dederis, perdis rem, meritumq; rei.
Et Ouidius.
Super omnia uultus accessere boni.
Quatuor hæc cognata dantis sunt, causa, uolūtas
Dantis, cui dederis, materiesq; dati.
Cui dederis, sit egens te cognoscente uoluntas.
Thob. Gratia, materia, propria causa Deus.

Et nihil sine ratione faciendum est (inquit Seneca) non est enim beneficium, nisi, quod ratione datur, semen non solum inutile, sed, & sterile spargimus, quia beneficia sine delectu ullo magis spargimus, quam damus; refert etiam, quid, cui, quando, & quare, sapiens omnia extimabit secum quantum accepit, à quo, quando, ubi, quemadmodum ex illis uersibus Thob.

Affectus parit effectum, non aspice quantum
Thob. Sed fluat ex quanta sedulitate datum,
Non tibi, quod dabitur, sed cur intellige solum,
Sola uoluntatis forma monetat opus,
Non decorat factum, nisi facti sola uoluntas,
Non operis fructus, sed noto mentis opus.

Quia non aurum, nec argentum (teste eo-

dem Sen.) nec quicquã eorum, quæ à proximis accipiuntur beneficium eſt, ſed ipſa tribuendi uoluntas, nam ſi beneficia in rebus, non in benefaciendi uoluntate conſiſterent, eo maiora eſſent, quo maiora ſunt ea, quæ accipimus, id autem falſum eſt, non numquam enim nos obligat, qui parua dedit magnificè, qui regũ aequauit opes animo, qui exiguum tribuit, ſed libenter, qui paupertatis ſuæ oblitus eſt, dum miſericordiam reſpicit, qui non uoluntatem iuuandi tantum habuit, ſed cupiditatem, qui accipere ſe putauit, cum daret, qui dedit tamquam recepturus, recepit tamquã non dediſſet, qui occaſionem, quæ prodeſſet, & occupauit, & inuenit, contra ingrata ſunt; licet ipſa re, ac ſpe, magna uideantur, aut extorquentur, aut excedunt, multo grauius uenit, quod de non facili, quam quod de facili plena manu datur, ut colligitur ex inſertis uerſibus Thobiæ

Vt deſint uires, tamen eſt laudanda uoluntas, Thob.
Vt iam nihil præſtes, animi ſum factus amicus.
Copia ſi deſit, et ſi minuatur aceruus,
Non minuatur amor, nec deſit copia mentis.

Et Ouidius.

Credita non ſemper ſulci cum fenore reddit, Ouid.
Nec ſemper dubia adiuuat aura rates.

Idq; etiam Iſid. dicens. Aſſidua infelicis ſolum ſterilitatem unius anni reſtituit ubertas, unde uincit malos pertinax opera, ingratus

est aduersus unum beneficium, aduersus alterũ non erit, & si duorum oblitus est (inquit Seneca) in tertium etiam eorum, qui exciderãt, memoriam reducet, is perdit beneficium, qui cito se perdidisse credit, aut qui instat, & honorat priora sequentibus, etiam ex duro, & immemori pectore gratiam extrahit, non audebit aduersus multa oculos tollere, quocumque se uertet, ibi te uideat, beneficijs illum cinge. ut pulchre Ouidius dum inquit.

Ouid. *En toties sterili cum sim deceptus ab aruo*
Damnosa persto condere semen humo.

Seneca. *Et hæc in beneficijs inter duos lex est, inquit idem Sen. ut alter statim obliuiscatur dati, alter sit memor accepti, peßimum est, si lacerat animum, & premit meritorum commemoratio, & perdenda sunt multa beneficia, ut unum bene colloces, unum beneficium bene positum multorum ammissorum damna solatur. sanctius est prodesse malis propter bonosq; bonis, prodesse propter malos, præsta cũ poteris, nescis enim ubi gratiam inuenies collati beneficij. ut denotat Ouidius.*

Ouid. *Sin ego dißimulo, non reddo, non reminiscor*
Quod mihi obtuteris, ingratus tunc tibi fio.

Mediocritas namq; in dando, & accipiendo est seruanda, nam aliter in utroque, uel uno eorum excessus in uitium prodigalitatis incidit, ut in 2. Ethi. cap. 7. & honesta accipiendi

ratio, solet consequi honestam largiendi rationẽ, ut primo Cic. offic. legitur, qui uult proprium esse ciuitatis, atque nostrum, ut sit libera, & nõ sollicita suæ cuiusquam rei custodia, gratiam & qui refert habet, & qui habet, in eo ipso, quod habet refert, idem Cic. 2. offic. debemus namq; liberales esse non studio gratiæ recipiendæ, idq; dominorum esse debet, non nostri temporis, ò infelicitas &c.

De misericordia seu clementia. Caput XXI.

QVoniam misericordiæ benignus affectus ueræ liberalitatis alumnus solummodo donandi causa commendat, dum comprobandæ liberalitatis nomen assumat, illa tantum, quam causaliter pietatis intentio parcuerit, non enim & alias misericordiæ dicitur. C. de infant. expos. l. 2. Tantaq; sit inter huius uirtutes egregias conformitatis idemptitas, ut una numquã recte sumatur pro alia promiscui nominis equalitate participes, ut colligitur in decretis. 86. di. c. in singulis, ideo de liberalitate cũ satis sit dictum, ad misericordiam accedamus, quam commendat Gregor. ut refert Grat. in c. discipli na. 45. di. disciplina (inquit) vel misericordia multum destituitur, si una sine altera teneatur,

ſed circa ſubditos ineſſe debet rectoribus, & iuſtè conſulens miſericordia, & piè ſaeuiens diſciplina; hinc eſt, quod ſemiuiui illius uulneribus; qui à Samaritano in stabulum ductus eſt, & uinum adhibetur, & oleum, ut per uinum mordeantur uulnera, per oleum foueantur; quatenus unuſquiſque, qui ſanandis uulneribus præeſt, in uino morſum diſtrictionis adhibeat, in oleo molliciem pietatis, per uinum mundantur putrida, per oleum ſananda fouentur, miſcenda eſt ergo lenitas, cum ſæueritate, faciendum eſt ergo quodam ex utroq; temperamentum, ut non multa aſperitate exulcerentur ſubditi, nec nimia benignitate ſoluantur, hoc nimirum in illa tabernaculi arca figuratur, in qua cum tabulis uirga ſimul erat, & manna, quia cum ſcripturæ ſacræ ſcientia in boni rectoris pectore eſt, ſicut uirga diſtrictionis, ſic, & manna dulcedinis, hinc etiam Dauid ait. pſal. 22. virga tua, & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt, uirga enim percutimur, & baculo ſubſtentamur, ſit ergo diſtrictio iuſtitiæ, quæ feriat, ſit conſolatio baculi, quæ ſubſtentet, ſit itaq; amor, ſed non molliens, ſit rigor, ſed non exaſperans, ſit zelus, ſed non immoderate ſæuiens, ſit pietas, ſed non pluſquam expediat parcens, intueri libet in Moyſi pectore miſericordiam ſimul, cum ſuauitate ſociatam. uidea

mus amantem piè, & districtè sæuientem, certe cum Israeliticus populus ante oculos Dei pœnæ inueniabilem contraxisset offensam, ita ut rector eius audiret, descende peccauit populus tuus (Exodi 32.6.) ac si ei diuina uox diceret, qui in tali peccato lapsus est, meus non est, atq; subiūgeret, dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamq; te in gentem magnam, ille semel, & iterum pro populo, cui præerat, obicem se ad impetum Dei irascentis praeponens ait, aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis dele me de libro tuo, quem scripsisti. pensemus ergo quibus uisceribus eundem populum amauit, pro cuius uita de libro uitae deleri se petijt, sed cum iste, qui tanto amore eius populi constringitur, contra eius culpas pensemus, quanto zelo rectitudinis accendatur, mox enim ut culpa deleretur, obtinuit rectitudinis zelo successus, uindictam nulla etenus praetermisit. ecce qui uitam hominum etiam cum sua morte petijt, paucorum vitam gladio extinxit, intus arsit igne amoris, foris accensus est zelo seueritatis, tanta fuit pietas, ut se pro illis coram domino morti offerre non dubitaret, tanta seueritas, ut eos; quos diuinus feriri timuerat, ipse iudicij gladio feriret. nam leuiter castigatus reuerentiam exhibet castiganti, asperitatis autem increpatio, nec

correptionem recipit, nec salutem. ead. di. c. cũ beatus Paulus. & regat disciplinæ uigor mansuetudinem, & mansuetudo ornet sermonis uigorẽ, & sic alterum commendetur ex altero, ut nec uigor sit rigidus, nec mansuetudo sit dissoluta. ead. di. c. sunt namque. in fin. & cap. seq. uera iustitia compaßionem habet, falsa uerò dedignationem, quamuis, & iusti soleant rectè peccãtibus indignari: sed aliud est, quod agitur cibo superbiæ, aliud est, quod agitur zelo disciplinæ, indignantur enim: sed non dedignantes sunt, & contra hij, qui de falsa iustitia superbire solent, cæterosq; despiciunt, nulla infirmantibus misericordia condescendunt, & qui se peccatores esse non ostendunt, eo deterius peccatores fiunt. & in c. ponderet. in fi. 50. di. sententiam, quæ misericordiam uetat, nõ solum tenere fratres, sed etiã audire fugite, quia potior est misericordia omnibus holocaustomatibus, & sacrificijs, nam iudicium sine misericordia erit, quod nolit delinquentibus misericordiam facere, cum commune sit omnibus præceptum misericordiæ. 86. di. c. non satis: & in singulis quoq; generibus hominum conueniens tribuit sanctus Baptista responsum demũ omnibus ita publicanis, ne ultra præscriptum exigant militibus, ne calumnias faciant, ne prædam requirant, docens idcirco stipendia constituta militiæ, ne dum sumptus quæritur, prædo errasset, sed hæc, & alia officiorum

præcepta

praecepta sunt, propriè singulorum misericordia est communis usus, ideo commune praeceptum est omnibus officijs, omnibus aetatibus necessaria, & ab omnibus deferenda, non publicanus, nō miles excipitur, non agricola, uel miles, urbanus, diues, pauper omnes in commune moneantur, ut ea conseruent, misericordia enim plenitudo uirtutum est, & ideo omnibus est proposita perfectae forma virtutis. ead. di. c. in singulis. & hostem pugnantem necessitas deprimat, non uoluntas, sicut bellanti, & resistenti uiolentia redditur, ita uictorijs capto misericordia iam debetur, maximè in quo pacis perturbatio non timetur. 23. q. i. c. noli extimare. & cum nulli hominum sit claudenda misericordia, ita nulli peccatori impunitas relaxanda, quia culpatur, qui prohibet à malo, si modum peccati modus correctionis excedat. ead. caus. q. 4. c. qui peccat. etsi delinquentes sunt grauiter pro crimine puniendi, sunt tamen pro tempore utiliter tolerandi, quoniā qui multum emungit, elicit sanguinem. extra de renunc. c. nisi cum pridem, nec ex alia causa permissum fuit principem apostolorum designatum errasse, nisi ut disceret alijs misericordiam pati. 50. di. c. considerandum. sic enim misericordiam à Deo poscimus, cum promissione alijs compati, ut in oratione Dominica. quia bonae fidei possessores non

sunt, qui scientes debitum pietatis officium ammiserint. C. de his quib. ut iud. l. i. cum propriū imperialis beneuolentiæ sit omni tempore subiectorum commoda tam inuestigare, quam eis mederi, nam ita credimus Dei beneuolentiam, & circa genus humanum nimiam clementiam, quantum nostræ naturæ poßibile est imitari, qui quotidianis hominum peccatis semper dignatur ignoscere, & pœnitentiam suscipere nostram, et ad meliorem statum ea reducere, quod si circa nostro subiectos imperio nos facere differamus, nulla uenia digni esse uidebimur. C. de nupt. l. imperialis. quia nihil tam peculiare est imperialis maiestatis, quam humanitas, per quam solam Dei seruatur imitatio. C. de don. int. uir. & uxor. l. fi. quia instabile est regnum, quod non clemētiam firmat, unde inquit Sen. nullum animal morosius est, nullumque maiori arte tractandum, quam homo; nullumque magis, quam regem, ac principem clementia decet, iracundißimæ, ac pro corporis captu, pugnantißimæ sunt opes, aculeos in uulnere relinquunt: Rex ipse sine aculeo est, noluit illum natura sæuum esse, nec ultionem magno constantem petere, telumq; transit, & tractu eius inermem relinquit, exemplar hoc magnis rebus ingens est, pudeat ab exiguis animalibus non trahere mores, cum tanto hominum moderantior esse de-

beat animus, quanto uehementius decet, clementia non tantum honestiores, sed tutiores præstat, ornamentumq; maiorum est, simul, & certißima laus, magni animi est iniuriam in summa potestate pati, nisi quicquam gloriosius principe impune læso, muliebre est furere in ira, non minus principi onerosa sunt multa supplicia, quam medico multa funera, crudelitas inhumanum malum est indignumque principis animo, ferina rabies est gaudere sanguine, & uulneribus, & ab ipso homine in siluestre animal transire. Vnde inquit Claudianus.

Principio magni custos clementia mundi, Claud.
Quæ Iouis incoluit, zonam, quæ temperat ethram
Frigoris, & flammæ, mediamque maxime nata
Cælicolas, nam prima chaos clementia soluit,
Congeriem imitata rudem, uultuq; sereno
Discußis tenebris in lucem sæcula fudit,
Hæc decet, ut pœnis hominum, ut sanguine pasci
Turpe, ferumq; putes, ut non in sensus alendis
Materiam præstes odijs, ut sontibus ultor
Ignouiße uelis, deponas odium, iram,
Quam moueas precibus, numquam implacabilis obstes.
Iurgia contentus solo terrore coherce
Ethera patris exemplo, qui cuncta sonoro

Concutiens Tonitrua Cyclopum ſpicula differt
In ſcopolus, monteſq; maris, noſtriq; cruoris,
Parcus in Aethnis exercet flumina flammis.

Sic etiam dicebat Pytag. quod glorioſa laus eſt ignoſcendo uincere, ubi facultas potuit abundare uindictæ. & Sen. Remiſsius imperanti melius paretur, uerecūdia peccati facit ipſa clementia regnantis, nec expectes ut iniuriæ propriè ultionem poſcas; quia ſantitas ignoſcendi gloriam derelinquit, ut demonſtrat idem Claud. dum ait.

Claud. *Vindictam mandaſſe ſat eſt, plus nominis honor,*
Quam tuus enſis aget, minuit præſentia famam
Leuæ fluit uilis, ſed cunctis amnibus eſtat
Vtilior, nullaſq; confeſſus robore uires
Acrior, ac rapidus, raptas pertimeat ingens
Danubius ripas, eadem clementia ſani
Gurgitis ingentem deducit in hoſtia Gangem,
Torrentes in mane fremunt, lapſiſq; minantur
Pontibus, inuoluunt ſpinoſo uertice ſiluas,
Iam iam flectè animū, ſuprema piacula ſemper,
Da ueniam culpæ.

Seneca. *Clementia enim alieno ſanguini tamquam ſuo parcit, nephas eſt homini non eſſe hominem, humanitas uetat ſuperbum eſſe, aduerſus ſocios uetat auarum, verbis, rebus, affectibus commu nem, facilemq; omnibus præſtat, nullum malum alienum putat; bonum autem ſuum, ideo maximè amat, quòd alicui bono futurum eſt. ut*

ſcribit Anticlaus.

Hoc docet, ut miſeri lachrimas, incõmoda, caſus
Iudicet eßeſuos, nec ſe putet eſſe beatum,
Dum frater eſſe uidet, in multis eße dolendum.

Quoniam generi humano uenia tribuenda eſt (ſecundum eundem Sen.) ſi miſeris iuuenibus, ſenibusq;, quia peccant iraſcere, & infantes peccaturi ſunt, quis iraſcitur pueris, quorum ætas nondum nouit rerum diſcrimina, maior eſt excuſatio iuſtiorem hominem eße, quam puerum, nemo iraſcitur, ubi natura uitium defendit, unde Ouidius.

Dextera præcipuè caput, indulgentia mentes
Aſperas, odium, ſaeuaq; bella mouet:
Regia crede mihi res eſt ſuccurrere lapſo,
Conſpicitur, nũmquam eſt melior potentia cauſa
Quam quociens uanas non ſinit eße preces,
Vtilitas ergo magnos, dominoſq;, Deoſq;
Efficit, auxilijs quoq; fauente ſuis,
Conueniens homini eſt hominẽ ſeruare uoluntas,
Et melius nulla quæritur arte fauor.

Nam fœlicitas eſt multis ſalutem dare, & ad uitam ab ipſa morte reuocare generoſi eſt animi, & magnifici, & iuuare, & prodeſſe. Cæſar enim tantae fuit clementiae etiam in inimicos, ut dum diſiectas ſtatuas Pompei uideret, non contempſit, ſed continuo reſtituit, & tunc ſuas confixit (inquit Cic.) qui meruit ſibi dedicari templum clementiae ut refert Plut. in eius uita.

un.108. *Vnde idem Ouidius.*
Cum foret Aeneæ subiecta parenti
Dicitur ipsa uiro flamma dedisse uiam,
Mitius est lapso digitum supponere mento,
Mergere quam liquidis ora natantis aquis,
Crede mihi,miseris cælestia numina parcunt,
Nec semper læsos, & sine fine præmunt,
Sæpe leuant pœnas,ex certaq; lumina reddunt,
Cum bene peccati pœnituisse uident,
Confugit interdum templi uiolator ad aram,
Nec petere offensi numinis horret opem
Ancipitremque timẽs pẽnis trepidantibus ales
Audet ad humanos fessa uenire sinuss
Nec se uicino dubitat committere tecto?
Quæ fugit infestos territa fera canes.

De authoritate conseruanda,& nimia mollicie depellenda. Caput. XXII.

Postquam dictũ est de misericordia,seu clementia,sequitur,ut de authoritate conseruanda,& nimia mollicie depellenda dicamus, quia nonnulli dilectionis relaxantes habenas, quæ cunctarum uirtutum mater est c.i. de offic. cust. reum nimiæ pietatis dissolutione mollescunt,suae dignitatis authoritatem uilificant,

& inordinata subiectorum familiaritate se deturpant, seq; contemptibiles faciunt, & sic dum credunt uirtutibus indulgere, uitiosa committunt, & uirilitatis uigorem, dum delinquentium calamitosis illachrimantur supplicijs, satis insolenter effœminant, cum incōstantiae suae prodit iudicium, cuius uultus animi motus exemplando detexit, quia iudex in audendo debet se facilem praebere, sed contemni se non patiatur, unde mandatis principum adiungitur, ne praesides prouinciarum in ulteriorem familiaritatem prouinciales admittant, nam ex conuersatione æquali contentio dignitatis nascitur, sed in cognoscendo nec excandescere aduersus eos, quos malos putat, nec eis illachrimari. id enim non est constantis, & recti iudicis, quia summatim ita ius reddi debet, ut authoritatem dignitatis ingenio suo augeat. ff. de offic. praesi. l. obseruandum. & circa aduocatos patientem esse consulem oportet, sed cum ingenio, nè contemptibilis uideatur. ff. de offic. proc. l. nequicquam. §. i. Vnde August. & si necessitas disciplinæ moribus cohercēdis dicere uos dura uerba cōpellit, si & ipsi uos modum excessisse sentitis, non à uobis exigitur, ut uos à subditis ueniā postuletis, nè apud eos quos oportet esse subiectos, dū nimiū seruatur humilitatis, regēdi frāgatur authoritas. 86. di. c. quando necessitas, quia si in corripiēdo quis modū excesserit, nō à subditis, sed à

domino ueniam petat. Vnde Antherius Papa. in c. facta. 9. q. 3. facta subditorum iudicantur à nobis, nostra uerò à domino iudicantur, ideò nolite extimare eas animas inquisitoris non habere fortitudinem, quas Deus prae caeteris suo reseruat examini, non habet apud illum reus de allegatoris nitore subsidium, quando ipsorum factorum utitur eo teste, quo iudice. ead. di. c. aliorum, ideo dicebat Greg. miserabilis insaniae esse, si filius patrem, discipulus magistrum sibi subiugare conetur. 96. di. c. quis dubitet. Vnde versus.

Semper iustitiae uincat miseratio normam,
Indutusq; rigor cedat pietate remissus,
Sic tamen, ut numquam firmæ cōstantia mentis
Deuiet à recto, ne si pietate remissus
Molescit iudex, magnos effœminat actus
Mollicies, perdatq; uiri fracta uigorem,

Seueritatemq; (dicebat Plato) ac bonitatem æqualiter misce, ne aut grauis, aut contemnendus existimes, nimia enim bonitas uilis prudentia est, nimia seueritas stulta sapientia est. & nimia humilitas praelatorum contemnitur. 99. di. c. si. de nimia seu eritate loquitur Bernar. sup. can. xij. & ser. 23. talem te redde subditis, ut potius ameris, quam timearis. & si sæueritate est opus paterna, non tyrannica. &c.

De modestia, seu temperantia seruanda, & multitudine euitanda. Cap. XXIII.

CVm modestiæ, seu temperantiæ Canon, quo cuiuslibet superfluitatis resecatur excessus, omne quod nimium est abhorret, & pro uitio reputetur uirtus quelibet indiscreta; sitque damnabile, quodcumque non est sub mensuræ modificationis æquanimitate libratum, ideo ubi de authoritate conseruanda diximus, sequitur, ut & de temperantia dicamus. nam nihil immensum bonum est, nec aliquis libenter ferret eum, qui ultra suam substantiam expendit, nec enim oportet ad mensuram expensarum quærere etiam poßessiones, hoc enim simul ad auaritiam, impietatemque perducit, sed ex hijs, quæ supra expensas quoque metiri, quapropter competenter etiam de his disponit lex, & immensitatem excludēs certæ medicinæ causam tradit. in auten. ut determi. sit num. cler. §. quia enim. & §. cum uero uers. nam si. namque ratio debet haberi eius, quod modum probabilem non excedit. ff. de dam. infec. l. inter quos & quisquis contentis hijs, cum quibus uiuit, lautiora sibi, uel austeriora præ cæteris indumenta,

uel alimēta quærit, aut intemperans sui est, aut superstitiosus. In incessu autem debes esse ornatus, ut grauitate itineris mentis maturitatem ostendas, incompositio .n. corporis inæqualitatē indicat mentis, unde de incompositione Catilinæ dictum est. incessus eius modo cito, modo tardè. sic refert Grat. xxxxi. di. cap. si. & Augusti. in ead. di. cap. quisquis, inquit, quod si quis rebus prætereuntibus restrictius utitur, quam sese habeant mores eorum, cum quibus uiuit, aut intemperans, aut superstitiosus est, quisquis autem sic eis utitur, ut metas consuetudinis bonorum, inter quos uersatur, excedat, aut laudis aliquid significat, aut flagitiosus est, in omnibus .n. talibus non usus rerum, sed libido inculpanda est. quid igitur locis, temporibus, & personis conueniat, attendendum est, nè temerè flagitia rependamus: nam excessus in utraque parte est damnabilis, unde subiungitur in tex. ead. di. cap. vi. parsimoniam cum ueste humili non reprobamus, sicut & ornatum præter corporis diligentiam infucatum laudamus, dissolutos autem, & confractos uestibus, & incensu non recepimus. quia secundum di. Hier. nec affectatæ sordes, nec exquisitæ deliciæ laudem pariunt. c. i. ead. di. quia sæpè uitia se eße uirtutes mentiuntur, ut tenacia, parsimonia, effusio, largitas, zelus iustitiæ, remissio, pietas uelit uideri. c. sæpe ibidem. si. n.

ultra necessaria sibi quis retinet, aliena rapere conuincitur. cap. i. §. ordinandus. 42. dist. Ideo quoddam medium unum bene eligentes, mediocribus pro pluribus contenti fuerunt, & quod medium est optimum uisum est, unde diffinitum est, ut nihil non immensum sit, nec inordinatum quòd prudentissimi iuris authores medietatem quandam sequuti sunt, ut quod fieri non raro per modum debet, intuerentur. ff. si pars hæred. petit. l. antiqui. sic etiam inquit Vlpian. in l. si bene. ff. de usur. quod prospicere reip. securitatis debet præses prouinciæ dummodo, nec acerbum se exactorẽ, nec contumeliosum præbeat, sed moderatum, & cũ efficacia benignũ, & cũ instãtia humanum, nam inter insolentiam incuriosam, & diligentiam non ambitiosam multum interest. quia ex constitutione principum est superflua licentia ad sufficientem numerum cobarctata, ut iudices moderentur, & eum solum numerum, quem necessarium esse putauere, euocari patiantur, ne effrenata potestate ad uexandos homines superflua multitudo protrahatur: ff. de testi. l. prima. quod utique pulchrè demonstrat Imperator in auten. de refer. §. fi. inquiens. multitudo onerosa nihil habet honestum, quoniam ut prædiximus in paucis, & multis, quæ secundũ uirtutẽ est, uita saluatur, sic quã ex hoc l. nostra multitudinem quidem expellens, introducens

uerò uirtutem, quæ non in multis apparet, quod etiam refert tex. de præb. c. quia. multitudo est canonibus inimica, quæ dissolutionis materiam, & euagationis inducit, certumq; inducit periculum animarum. ideo melius est pauca agere caute, quã multis interesse periculose. in auten. de tabell. circ. med. quia decet partibus suis fungi, nec quidem præcipiti festinatione, sed nec moratoria cunctatione. ff. de admi. tut. l. tutor qui. §. tutor. & ff. de iur. de iur. dot. l. quæro. modus ex facultatibus, ex dignitate mulieris statuendus est, quo usus ratio patitur: sed tamen (inquit Vlp.) nec passim admittenda, nec discrete deneganda, sed à prætore causa cognita temperanda. ff. de proc. l. sed. quod sic certum prædicatur, quod modus est adhibendus secundum rationem & locorum, & temporum qualitatẽ. ff. de uerb. obli. l. continuus. §. ita. & omne, quod rarum est plus diligitur, uel amplectitur, priuilegium apud Indos pipere pretiosius est. 93. di. c. legimus. uers. sed dices, & rarum est omne, quod magnum est. 59. di. c. si officia, nec mutat substantiam rerum, nec necessaria uerborum multiplicatio. ff. de aur. & arg. leg. l. pediculis. §. labeo. unde Satiricus poeta.

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultro, citroque nequit consistere rectum,
Metiri se quemquã suo modulo, ac pede uerũ est.

Et Ouidius. inter utrumque tene, medium tè

uiuere beati. magni itaque animi est magna contemnere, & mediocra malle, quam nimia, magnus ille, qui sic fictilibus utitur, ut argento, non est ille minor, qui sibi utitur argento, quemadmodum fictilibus, qui domum nostram interijnt plus nos miretur, quam nostram suppellectilem, si non putemus fragilitatis indicium, auro, argentoque caruisse. sicut idem poeta Horatius.

Quem res plus nimio delectauere secundæ,
Mutare quatient, quem non uidere superbum.
Et Lucanus.
Prospera fatorum nec fractum aduersa uidebit
Neminem aduersa fortuna comminuit, nisi quæ sæua
Decepit, qui nec seletis rebus inflauit, nec mutatis,
Contrahet, cum omnia, quæ modum excedant, noceant.

Ideo dicitur infelicissimam, & periculosissimam esse felicitatem, ubi intemperantia dominatur, quod demonstrat idem Satiricus, omne superuacuum pleno de pectore manat, & Senecæ fulcitur authoritate. Insani sapiēs nomen fert equis iniqui, ultra quam satis est uirtutem si petat habere, uitiosum est ubique, quod nimium est. nam quicquid sine indiscretione feceris (authore Isid.) malum est, & uirtus indiscreta pro uitio reputatur, cum uirtutes sint moderate (ut refert Iero.) & ideo excedentia

modum, atque mensuram inter uitia reputantur. Vnde Iuuenalis.

Imponit finem sapiens, & rebus honestis
Dedecet ingenuos tedia ferre sui.

Et Ouidius, cum Anteclaudiano

In uitium transit uirtus, si transeat æquum,
Quia res, in rebus fit magis apta modum,
In uitium transit uirtus, metamque, modumque,
Egrediens, & habens plus, nec minus uerè, nec
Eße qui iuris hominem, sua, seque tueri.
Contentum esse suis, alienum nolle beatum
Efficiunt, igitur si quis quæsieris ultra
Excedunt tua uota modum, finemque beati.

Ideo ad bene uiuendum (ut ait Seneca) non magno apparatu opus est, unusquisque se beatū facere potest, omnes beatam uitam optant, instrumenta eius pro ipsa habent, sed illam dum petunt effugiunt, nam cum summa uitæ beatæ, sit solida securitas, & perpetua tranquillitas, hanc dabat animi magnitudo, constantia bene iudicanti tenax, ad hoc tunc peruenitur, si ueritas tota perfecta est, se seruatur in rebus agendis ordo, modus, decor, innexa uoluntas, & benigna cum intenta ratione, nec unquam ab illa recedens, cum ratio perficiat hominem sola, ut demonstrat Ouid. in Epist. dicens.

Interpone tuis interdum gaudia curis.
Ouid. *Quod caret altera requie, durabile non est.*

Nam contra naturam eſt torquere corpus tuum, & faciles odiſſe mundicias, & ſquallorem appetere, & cibis non tantum uilibus uti, ſed incertis, & horridis, quemadmodum deſiderare delicatas res, luxuriæ eſt, ita uſitatas, & non magno publices fugere dementiæ eſt frugalitatem. quod aſſeuerat diuus Hier. dum ait, tantum ieiuniorum tibi interpone, quantum ferre potes, ſint pura, ſint caſta, moderata, non ſuperſtitioſa ieiunia, parcus cibus, & uenter ſemper eſuriens, Triduanis ieiuniis præfertur, multoque quotidie parum, quam raro ſatis ſumere, pluuia optima eſt, quæ ſanctorum deſcendit in terram, ſubitus, & nimis imber in preceps arua ſubuertit, ut canit idem Ouid.

Omne, quod eſt crebrum nimio, ſordeſcit in uſum, Ouid.

Omne quod eſt rarum, carius eſſe ſolet.

Cum enim de temperantia loquamur audi, quod inquit Seneca in eius laudes, temperantia uoluptatibus imperat, alias odit, atque abiicit, alias diſpenſat, & in ſanum modum reducit, nec unquam ad illas, propter ipſas uenit ſatis optimum eſſe modum cupidorum non quantum uelis, ſed quantum debes ſumere, parſimonia namque eſt ſcientia uitandi ſumptus, aut cultus ſuperuacuos,

aut ars re familiari moderate utendi. sicuti multum ingenue scribit poeta de ipsa temperantia in his uersibus.

Virtutum certos morumque media nutrix
Totum componit hominem, contemperat actus,
Verbaque metitur, libratque silentia, gestus,
Ponderat, appendit habitus, sensusque refrenet,
Admonet in factis, ut nihil agat, unde pudendum,
Vnde pudor fontem signet, vitaque reatus
Vt torqueat, aut fame titulos infamia ledat,
Ne uitanda foris oculis uenetur, & auris
Melliflua uocis dulci seducta canore
Seducat mentem, seducta naris odorum
Defluat in fluctus, uisum castigat, & aurem,
Frenat odoratum, nec ullo dulcore saporis
Disapiens gustus, mentem nimium sapiendo
Decipiat sensum, gustus contemperat usum,
Tactus componit, ore deuius erret, & intus
Mentem sollicitet, venerisque praeludia quaerat,
Non habitus cultus nimio splendore serenet,
Non calore premat, mediocriter omnia penset,
Ne cultu nimio Laxiuijs adequet
Femineos luxus, sexusque recidat honorem,
Talis erit risus nullo corruptus ab usu,
Qualem causa, locus, tempus persona requirit,
Praeualet in cunctis discreta modestia rebus
Qua sine uirtutum grande peribit opus.

Si enim prefulgere cupis, splendorque aliis uideri,

uideri, euita asperum cultum(secundum Sen.) & intonsum caput, & negligentiorem barbam, & in dictum argento odium, cubile humi stratũ, & quicquid denique ambitiose peruersa ui a se quitur. non splendeat toga, nec sordeat quidem intus, omnia dissimilia sint foris, proprio nostro conueniat tempori, uita inter bonos mores ac publicos dissimiles uulgo non eße sciat, qui inspexti proprium id, ut meliorem uitam id agamus, quam uulgus, non ut contrariam, alioquin quos emendare uolumus, à nobis fugamus, & auuertimus, ut nobilis est illa poetæ sententia.

Percurrant greßus oculi, circumspice mentem,
Et uires metire tuas, si fortis es, aude,
Grandia, si fragilis, humeris impone minora:
Si mediocris, ama mediocria, sumere noli
Quod, quando summis presumis, in omnibus ima
Est uirtus seruare modum, memor imprime mentem.

Exemplum nobis tribuant ægyptij, quorum uita ea tenetur modestia, ut non à legislatore, sed à peritissimo medico ad conseruandam sanitatem composita uideretur. imo existimantes se parendo legibus fore beatos, hoc proprium ipsorum regum, & ut ait Isoc. in orat. xiij. de pace, temperantia est cau-

sa summorum bonorum, atque multa in iij. orat. &c. unde describitur secundum August. primo. de li. ar. temperantia est affectio cohibens appetitum ab his rebus, quæ turpiter appetuntur, uel ut libr. xxxiij. q. temperantia est refrenatio cupiditatis ab his, quæ animum delectant &c.

De modo contra locutionem, seu taciturnitatē conseruando, & rationabili ordine prosequendo. Cap. XXIIII.

Postquam dictum est de modestia, seu temperātia, quæ cuiuscumque boni decus exornat, quia loquendi, tacendique mensura tanto magis necessaria reputatur, quanto per ipsius exceßum facilius quis grauioris dispēdia nocumēta persentit, cū frequentius in loquendi, quā in operandi lubricū dilabimur, quia non semper malefaciendi possibilitas adest, licet pronus sit obloquendi defectus, quare uiris benignitas, quia frequenter incurrit lubricum linguæ clemēter indulxit ff. ad l. Iul. maiest. l. famosi. cōuenit uidere de modo contra utrūq; tenēdo, atque rationabiliter prosequendo, quod demonstrat

grat. xx. di. in pri. quo enim quisque magis ratione nititur, eò maioris authoritatis eius uerba eſſe uidentur. ideo aduertat unusquisque sermones suos, & quod ſibi non uult, alteri non loquatur 50. diſt. cap. ponderet, nam tempus tacendi, & poſtea loquendi, quia ueritas prius diſcendo diſcitur, & poſtea loquendo predicatur. cultum enim ſuæ iuſtitiæ perdit, quando ſilentia iudicij obſtrepentium turba confundit v. q. iiij. c. in loco. & qui fraudulenter ambulat, reuelat archana, qui autem fidelis eſt, cælat amici conſilium, quæ uident oculi tui, ne proferas in iurgio cito, nè poſtea emendare non poſſis, cum dehoneſtaueris amicum tuum, quia cautius, & melius eſt, cum ſuaſione perfectiſſima reſponſa facere. nè ex ſua imperitia, uel uiuendi calore, aliquid dicant, uel faciant, quod ſi fuiſſet prolatum, uel non expreſſum, prodeſſe eis poterat, & eos à deteriori calculo liberare. & uerba ſuperflua penitus ſunt reijcienda, quid enim uerbis opus eſt, quorum effectus nullus ſequitur: cap. de donat. l. fi. nec lubricum linguæ ad penam facilè trahendum eſt, uitium animi eſt indignis ſecreta uulgare, quod fit uel loquacitate incauta, dum ſine iudicio uelit irreuocabile uerbum, uel adulatione, ut ei placeat, cui ſecreta reuelat, uel iactatione ſcientiæ, ut plura ſcire uideatur. quia ſol-

liciti debemus esse ne margaritas nostras mittamus ante porcos, quod si ingesserit se, & prouocabit nos dicere ea, quæ eos minus recte agentes non oporteat audire, prudenter debemus eos eludere, nam nihil omnino respondere auditorum causa utile non uidetur, nè forte extiment nos responsionis penuria declinare certamen. xxxxiij. dist. cap. in mandatis habemus. fatuus namque fatua loquitur, ut habetur Isai. cap. xxij. & xciij. di. cap. legimus, & illa præpositorum sollicitudo est utilis, illa est cautela laudabilis, in qua totum ratio agit, & furor nihil sibi uendicat, restringenda est sub ratione potestas, nec est quid agendum prius, quam cogitata ad tranquillitatem mens redeat, nam commotionis tempore, iustum putat esse quod facit. xi. quest. iij. cap. illa & consideratione rationis, seu discretionis, omnia bene fiunt, quæ mater est omnium uirtutum. i. quest. v. cap. fin. cum necesse sit extirpare, quod ratione caret. lxviij. dist. cap. penult. quia ordinate ad honorem ascendendum est, nam casum appetit, qui ad summi loci fastigium præpositis gradibus per abrupta quærit ascensum, scimus autem, quod edificati parietes non prius lignorum pondus accipiunt, nisi à nouitatis suæ humore sicentur, ne si ante pondera, quam solidentur acci-

piant, cunctam fabricam simul ad terram deponant. xlviij. dist. cap. sicut. nam quis tam arrogans, tam imprudens inuenitur, ut statim dux esse desideret, antequam tiro fuerit, & prius uelit docere, quam discere. 59. di. cap. si officia, & in cap. hoc. ad nos. quid isti subiectis prestaturi sunt, qui antequam disciplinatus lumen attingant, tenere locum regiminis non dubitant. & cap. fin. debet enim ante esse discipulus, quisquis doctor esse desiderat, ut possit docere, quod didicit, qui minime litteris operam dederit, præceptor esse non poterit litterarum, qui non per singula stipendia creuerit ad meritum stipendij meritum, siuè ordine non potest peruenire. cum miserum sit eum fieri magistrum, qui numquam fuit discipulus, & absurdum sit, ut imperiti magistris, noui antiquis, rudes præferantur emeritis. lxi. dist. cap. miserum. & cap. statuimus. propterea Hieron. dicit multo tempore esse discendum, quæ post modum doceas, & inter bonos semper esse sectandos meliores. relatiuè in cap. sic uiue. xvi. quest. i. & in cap. si clericatus, ne sis miles antequam tiro, nec prius magister sis, quam discipulus, quia non est humilitatis meæ, nec mensuræ iudicare superius de cæteris, non ipse te doceas, & absque doctore ingrediaris uiam, quam numquam ingres-

sus es. & hinc exclamat tex. in magistrum assumendum non esse, qui formam discipuli non assumpsit, nec præficiendus sit, qui subesse non nouit. de elect. cap. cum in magistrum. & ad conscientiam iudicum recurritur, si contra debitum ordinem tanquam homines exesserunt, nec pudeat eos errorem suum corrigere, qui positi sunt, ubi aliorum corrigant errorem, quoniam apud discretum iudicem qua mensura mensi fueritis, remetietur & uobis, ex hijs autem, quæ inordinacte sunt acta, nõ potest ordinabiliter agi. & ideo primi in primo loco, posteriores in secundo loco ponendi. c. de nou. cod. fac. circa medium. & dixit Ouid.

Exigua est uirtus præstare silentia rebus,
At contra grauis est culpa tacenda loqui.

Et non est faciendum, ut inquit Ambros. est homo qui silentium affectat, sed cor eius multum loquitur, & est homo, qui à mane usque ad uesperum loquitur, & cum discretione silentium magnum custodit. & inquit Sen. quid prodest totius religionis silentium, si affectus fremit, omnia foris resonent, dum intus nihil tumultus sit, dum interse non rixentur cupiditas, & timor, dum auaritia, & luxuria non discedant, nec altera uexet alteram, nulla placida quies est, nisi quam ratio composuit. Vnde sunt uersus.

Nam maiestatem minuit, qui mistica uulgat,
Et secreta manet, quorum fit conscia turba.
Nam res uulgatæ semper fastidia gignunt
Ex re uulgata, contemptus, nausea surgit.

Et pulchre Ouid.

Quærit aquas in aquis, & poma fugancia captat
Tantulus, hoc illi garrula lingua dedit,
Lingua fecit damno, lingua faciente loquaci.
Cui color albus erat, nunc est contrarius albo.

Et de malis linguæ inquit Bernardus. breuis est sermo, tenera, mollis, & exigua caro lingua hominis, leuis quidem res sermo, quia leuiter uolat, sed grauiter uulnerat, leuiter transit, sed grauiter urit, leuiter penetrat animum, sed non leuiter reuocatur, facile uolat, & ideo facile uiolat charitatem, tenerum membrum lingua, at non uix teneri potest, substantia quidem exiguum, atque infirmum, sed usu magnum, & ualidum reperitur, modicum membrum est, sed nisi caueas magnum malum, tenerum, & latū, & aptissimum uacuari discordibus instrumentum, unde cecinit alter Poeta Ficticius. De lingua hominis.

Falsorum uerba sunt uana, sunt dolosa superba,
Ex duplici corde uenientia non sine sorde,
Nesis preproperans, sed in hijs, quæ dixeris esto
Argus, & argutus, oculis circumspice uerba,
Nescit uox missa reuerti.

Et Horatius non ineptè prosequitur

Et semel emissum uolat irreuocabile uerbum,

Quid de quoque uiro, & cui dicas sepè uideto,
Non retinēt paruulæ commissa fideliter aures,
Qualem commendes atque etiam aspice, ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pud orem
Quem sua culpa premit deceptus omitte tueri,
Archanum neque tu scrutaberis ullius unquam
Commissumque reges, & uino tortus, & ira.

Tristitia mæstum uultum uerba decent, iratum plena misericordiarum. (& Seneca) beata sunt labia, quæ numquam proferunt, quæ reuocare uellent, & sapiens, tacuisse numquam sed eße loquutū pænitet, unde ait diuus Hieron. ante diu considera. quid loquendum sit, & adhuc tacens prouide, ne quid dixiße pæniteat, uerba tua ponderet cogitatio, & lingua officium penset nescio, qua conscientia, uel lingua, quis Deum oret, qui aut mentitur, aut maledicit, aut detrahit, labia sancta exaudit Deus, & illius cito annuit precibus, qui lingua immaculata pronunciat: & pro calce sunt alij uersus cum dicto Isidori.

Omnis homo, quacumque domo, qua lege fruatur.
Prouideat, quando taceat, uel quando loquatur.

Quia sermo sapientis (teste Isid.) primo uenit ad limam, quam adlinguam. &c.

De diuersis mendatiorum generibus, & ueritate loquendi. Cap. XXV.

POstquam dictum est de modo contra loqutionem, seu taciturnitatem seruando, et rationabili ordine prosequendo, quia diuersis mandatorum generibus uerba sua falsitatis calumnijs sophisticant, & oris officium maligna peruersatione corrumpunt non solum modestie frenum per linguæ discursum relaxantes enormiter, sed à ueritatis semita deuiantes, quam mentiendi licentiam sine pœna transire non patitur sacratißimè legis Edictum C. de accus. l. fin. ideo de ipsis mandatis sequitur uidere. & ut diffinit August. mendacium est falsa uocis significatio cum uoluntate fallendi. 22. q. 2. c. beatus uers. ille ergo, & ideo qui, quod nouit, loquitur, iudex iustitiæ est, qui autem mentitur, testis est fraudulentus, labium ueritatis firmum erit in perpetuum, qui autem testis est repentinus concinat lingua mendacium, & qui custodit os suũ, custodit animam suam, qui autem inconsiderate loquitur sentiet mala uerbum iustus detestabitur, ipsius autem confundit, & confunditur, 5. q. 5. c. qui ambulat. §. sed aliud, & nemo men-

tiens iudicandus est, qui dicit falsum, quod putat uerum: quia, quantum est in ipso, non fallit ipse, sed fallitur, melior est, qui nesciēs falsum dicit, quoniam id uerum putat; quam qui mentiendi animum sciens gerit nesciens uerum esse quod dicit. 22.q.2.c.15. autem, sic August. in 5. ps. relatus à Grat. ead. q. c. cum humilitatis. si propter humilitatem mentiris, si non eras peccator antequam mentireris, mentiēdo efficieris, quod euitaueras, ueritas autem ipsa in te non est nisi ita dixeris te peccatorem, ut etiam esse cognoscas, ueritas autem ipsa est, ut quod est dicas, nam quomodo est humilitas, ubi regnat falsitas? plura enim sunt mendaciorum genera, primum quidem est capitale mendacium, & longe fugiendum, quod fit in doctrina religionis, ad quod mendacium nulla conditione quis debet adduci, quia magnum est scelus, & primum sceleris detestabilis mendacij. secundum genus est, ut aliquem lædat iniustè, quod tale est, ut nulli prosit, et obsit alicui, nec hoc grandi caret culpa quia nulli est facienda iniuria. Tertium quod prodest alteri, ita quod obsit alteri, quamuis non ad immunditiam obsit corporalem, nec sic mentiri licet, quia nulli cum alterius iniuria est consulendum. quartum, quod fit sola mentiendi, fallendiq; libidine, quod mirum mendacium est, nec licet propter libidinem: quæ per se ipsam uitiosa est. quintum est, quod fit placendi cupidi-

tate de suaui eloquio, hijs omnibus penitus euitatis, atq; reiectis, nec licet, quia nec ipsa ueritas placendi causa hominibus enuncianda est, quanto minus mentiendum, quod per seipsum, quia mendacium est, utique turpe est. Sextum genus. quod & nulli obest, & prodest alicui, uele id si quis piam pecuniam alicuius tollendam sciens, ubi scit nescire se mentiatur, & in hoc nec est mentiendum, neq; enim recte testimonij ueritas pro cuiuscumq; temporali commodo, ac salute corrumpitur, ad sempiternam uerò salutem nullus est ducendus opitulante mendacio. Septimum genus mendacij est quod nulli obest, & prodest alicui, ueluti si nolens hominem ad mortem quæsitum perdere mentiatur, nec licet mentiri, non enim cuiusqs commoditas, aut salus temporalis perficiendæ fidei præferenda est, nec se quisquam in rectè factis nostris tam male moueri sentiat, ut fiat etiam animo deterior, longeq; à pietate remotior, octauum & ultimum genus mentiendi est quod, & nulli obest, & ad hoc prodest, ut ab immunditia corporali aliquem tuetur, nec in hoc octauo genere est mentiendum, quia castitas animi pudicitiæ corporis præfertur, & in malis, quod ipsi facimus iuste, eo quod fieri sinimus, nobis damnabilius est, in his autem omnibus generibus, tanto quis minus peccat, cũ mentitur, quãto magis à primo mẽtiendi genere

recedit, quisquis autem esse aliquod genus mendacij, quod peccatum non sit putauit, decipiet seipsum turpiter, cum honestum se deceptorem arbitretur aliorum. quæ omnia sunt dicta ab Aug. in libr. de mendacio, & relata à Grat. ead. q. c. primum. & si aduersus se quisquam falsum testimonium dixerit, non ideo à mendacij crimine, se reputet alienum, quoniam regula diligendi proximum à se ipso incipit 23. q. 5. c. si non licet, quia summo opere fugiendum est omne genus mendacij, nec casu, nec studio loquaris falsum, nec ut prosis piè mentiri studeas, nec qualibet fallacia uitam alicuius defendas, in omnibus caue mendacium. 22. q. 2. c. omne. & cap. preced. faciat homo pro temporali salute hominum, quod potest, cum autem ad hoc uentum est, ut tali saluti nisi peccando consulere nõ poßit, iam se existimet non habere, quid faciat, quoniam id relictum esse prospexerit, quod recte faciat. eosq; testes ad ueritatem iuuandã adhiberi oportet, qui omni gratiæ, & potentatui fidem religioni iudiciariæ debitam possunt proponere, & datur cunctis iudicibus absq; ullo præscriptionis obstaculo testes, quorum uoces, uel falsitate, uel fraude non carere prospexerint, pro qualitate delicti animaduertendi licentia. C. de testi. l. nullum. nec statim reus, qui accusari potuit extimetur, ne subiecta innocentia feriatur, nec impunita sit mentiendi licentia, cum ca

lumniantes ad uindictam poscat similitudo supplicij. C. de accus. l. fi. & si quis deuotionis suae, ac salutis publicae custodiam gerit, ea, quae uera putauerit ore proprio edicat, ut ita absq; ulla trepidatione accedat, sciens quod si à sermonibus fides uera fuerit opitulata, laudem maximam, & praemium consequetur. C. de fam. lib. l. i. cum uarie uoces populi non sint audiendae, nec enim uocibus eorum credi oportet, quando aut obnoxium crimine absolui, aut innocentem condemnari desiderant. C. de pen. l. decur. & ad hoc ait Sen. uide non tantum uerum sit quod dicis, sed an ille, cui dicitur uim patiens sit, am moneri bonus, gaudet peßimus, quisq; rectorem asperrimè patitur, etiam si nigeratur oculis ueritas, amat, & tuetur errorem, argui non uult, & male captis honestior illi pertinacia uidetur. &c. est tamen differentia inter mentiri, & mendacium dicere, ut scribit Aul. Gel. li. xi. Not. atti. cap. xi. qui mentitur, non fallitur: sed fallit, qui mendacium dicit ipse fallitur, & qui mẽdacium dicit, transfertur ab eo poßeßio. in auten. de trient. & semis. §. illud quoq; & ff. de rei uend. l. fi. & si quod debet, negat, aliquando duplum restituet. Inst. de pen. tem. litig. §. 2. mendaces enim homines odibiles sunt. Eccl. cap. 20. & mendacium dicitur esse contra naturam, unde à natura insita est ei poena, ut etiam ueritatem dicenti non credatur. in iudicio uerò datur

discrimen, cum in ciuili poßit imponi pœna neganti, secus in criminali, cum licitum sit unicuiq; redimere sanguinem suum per fas, & nefas. C. de transf. l. transigere: hoc tamen in parte solum, licet (secundum Aen. Siluium) in hoc laudetur Socrates, qui maluit mori quam cum mendacio se excusare, solus hodie esset Socrates, non solum propter quid malum uitandū, sed propter quid minimum lucrandum, sic natura humana ad tantum peius est redacta, ut nihil miserum conditione humana inueniri poßit, uarièq; alij hoc nomen accipiunt, & ut poeta suis potuerunt adaptare ceruicibus, vnde Stat. primo. theol.

De vitio detractionis, & quod non sit fides detractorum mendacijs adhibenda. Cap. XXVI.

P*Ostquam dictum est de diuersis mendaciorum generibus, quia tunc peßimum mentiendi genus incurrimus, cum ad maculandum nomen insontum, tamquam malignitatis, & inuidiæ filij detractionis iniquæ figmenta conficimus uirtutis insignium sub alicuius uita, falsa, simulataq; polluentes infamia, quod homicidij crimini comparatur. 5.q. i. c. summa. & deteriores sunt, qui uitam moresq; bonorum corrum*

punt,quam hij,qui substãtias aliorum,prædiaq; diripiunt. 6.q.i.c. ex merito. quod ex eo procedit,cum detractioni fides adhibeatur, & mendacijs adhereamus,ideo de hijs dicamus.de quibus Greg.in d.c. ex merito inquit,caueat itaq; unusquisque, ne aut linguam,aut aures habeat prurientes,idest ne ipse alijs detrahat,aut alios detrahentes audiat, pareant singuli detractioni linguæ,custodiãtq; sermones suos,& sciant quia cuncta,quæ de alijs loquuntur,sua sententia iudicabuntur, nemo inuito auditori libenter refert,habeant omnes simplicitatem columbæ,ne cuiquam machinentur dolos, & serpentis astutiam,ne aliorum supplantententur insidijs. & in c. deteriores,nostri detractores, & morum corruptores nostrorum,qui aduersus nos armantur, propriè nos ipsos decipiunt,& ideo iustè infames sunt, & merito ab ecclesia extores fiunt, & inuidia antiqui hostis hoc proprium habet, ut quos improborum actuum perpetratione Deo sibi resistente deicere nõ ualet, opinionem eorum falsa ad præsens dissimulando dilaceret. 2.q.4.c.habet hoc licet autem ipsa detractio sit ex uitio detrahentium,tamen iusto Dei iudicio nonnunquam aduersus bonos excitatur, ut quos uel domestica præsumptio,uel aliorum fauor in altum extulerat,detractio humiliet.6.q.i.c.oues.& ideo ueritatis ea regula est, ut nihil faciat commendandi causa, quo minor alius fiat,

neq; si quid boni operis habeas.i.ad deformatio nem alterius,& uituperationem exerceas. xi. q.3.c.si quis uero.& si omnia in hoc sæculo uen dicata essent,locum diuina iudicia nō haberent, superuacuis laborat impendijs, qui solem facibus nititur adiuuare. ideosi aliquis putat se Deo placere in hoc,quod seruos suos accusat, & ut meliores fieri dicit se agere;hoc in uanum la borat & plus inuidie stimulis agitatur, quam charitatis, quoniam diuinae gratiae plenitudo adiectione humana non indiget, nec ulla requirit commendationis,uel accusationis augmenta. c. si omnia. 6. q. i. licet multi uitam bonorum fortasse amplius, quam debent laudant, & nequa elatio de laude subrepat,permittit omnipotens Deus malos obtrectationem,& obiurgationem prorumpere, ut si qua culpa ab ore laudantium in corde nascitur, ab ore uituperantium suffocetur. ead. q. c. sunt plurimi. & prima iniquitas est fratres detrahere,& accusare, unde scriptum est,omnis,qui detrahit fratri suo, homicida est, & omnis homicida non habet partem in regno Christi, prima Io. 4. ead.q. c.summa propterea:antequam scruteris non reprehendas,intellige prius,& te in crepa,antequam audias,non condemnes,& licet apertissima sit contrariorum reprehensio,uerumtamen oportet ordinem ab hijs, qui dati sunt ad eorum examinationem seruari.xi.q.3.c. eorum. & c. temerarium,

rium, quòd tale iudicium plerunque nihil nocet ei, de quo temerè iudicatur, ei autem, qui teme re iudicat, ipsa temeritas necesse est, ut noceat. Vnde August. quicquid libet sola me in oculis domini conscientia non accuset. c. senti. ead. q. & in c. seq. Gregor. in cunctis, quæ in hac uita probantur aduersa, sola est, sicut nostris omnipo tentis Dei districtio pensanda, atque ad cor pro prium semper decurrendũ, ut nullius lingua se credat implicitum, ubi conscientia non accusat, quem enim consciẽtia defendit, liber est inter ac cusationes, & liber sine accusatione esse nõ põt, si sola, quæ interius urit cõsciẽtia, premat, unde præeminẽtiũ sanctitas debet mẽtem suã à male dictorũ hominũ rumoribus, atq; obtrectationib. disiungere, & sola, quæ in æternæ uitæ sunt, atq; ad utilitatem subditorum proficiũt, cogitare. et subdit ibi alius secundus tex. custodi intus inno centiam tuã, ubi nemo opprimit causam tuam, præualebit in te falsum testimoniũ, sed apud hò mines, nunquid apud Deũ ualebit, ubi est causa dicenda tua, quãdo Deus iudex, alius testis, quã conscientia tua non erit, inter iustum iudicẽ, & consciẽtiã tuã noli timere nisi causam tuã. ideo inter uerba laudantium, siue uituperantium ad mentem semper recurrendum est, & si in ea nõ inuenitur bonũ, quod de nobis dicitur, magnam tristitiam generare nobis debet, & rursus si in ea non inuenitur malum, quod de nobis loquũtur.

hominës, in magnam debemus letitiam prosilire, quid enim si non homines laudant, & conscientia nostra liberos nos demonstrat. ead. q. c. inter uerba. Vnde si quis modestiæ nescius, & pudoris ignarus improbo, petulantiq; maledicto nostra nomina crediderit lacescenda, ac temulentia tribulentus obtrectarum nostrorum tẽporum fuerit; cum nolumus subiugari, nec durum aliquod, uel asperum sustinere, quoniam si id ex leuitate processerit contemnendus est, si ex insania miserationum dignissimum, si ab iniuria remittendum. sunt uerba Imper. in l. i. c. si quis imper. maled. & non solum ille reus est, qui falsum de aliquo profert, sed etiam ille, qui aurem cito criminibus profert. ead. q. c. non solum, unde docet Innoc. quomodo sit attendendũ, ait enim in c. magnæ, extra deuot. non curemus, quid os loquentium iniqua loquatur, dummodo non recedamus à tramite ueritatis, de illius authoritate securi, qui cum audisset à discipulis, non ne scis, quia pharisei audito hoc uerbo scandalizati sunt, dixit; sinite illos, quia cæci sunt, & duces cæcorum: & facit uersus Ouid.

Nomina detractat presentia liuor iniquus.

Et Boet. cor felle liuoris amarum per lingue instrumentum spargere nihil amara non potest, & detestatur Ieron. dum inquit. Tanta detractionis libido inuasit hominum mẽtem, ut etiam qui procul ab hijs alijs uitijs recesserunt, in istud

quaſi in extremum diuina laquea incidant. Vnde Oratius,

Nam cum benefacta negare
Non poßit, quocunq; modo peruertere tentat,
Et minuit laudes, quas non abſcondere fas eſt,
Cum tua prouideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum uitijs tam cernis acutè?

Et Ouidius,

Diſtentis oculis aliorum damna uidemus,
Ad diſcernendum propria uiſus habet.

Quod melius demonſtrat Sen. aliena uitia in oculis habemus, à tergo noſtra ſunt, inde eſt, quod nihil alienæ luxurie agnoſcit, qui nihil ſuæ negauit, & homicidæ tyrannus iraſcitur, & punit furta ſacrilegus, quicquid in alio reprehendit, id unuſquiſq; in ſinu ſuo inueniet, ſequutus in hoc Pitag. quod ſtulti in alienis domibus uitia uituperant, in ſuis non corrigunt. Igitur de malo alieno os tuum non conquines (dicit Griſoſt.) non detrahas peccanti, ſed condole, detractio graue uitium eſt, hoc fetidius nihil eſt, hoc ſummæ turpitudinis eſt, canum mos eſt latrare, dente peſtifero mordere, lingua exaurire, quando detrahes alijs, te diſcute, quando alium mordes, peccata tua redargue, nunquam detrahes, ſi te benè proſpexeris. quia inquit not. Sen. nunquam alterius uituperationem libenter audias, quia nec tua ab alijs optares audiri, & ex hijs, quæ nos offendunt, alia renuntiantur nobis, alia

ipsi audimus, aut uidemus, quæ narrantur, non debemus cito credere, multi enim mentiuntur, & detrahunt tantum consuetudinis causa, multi, ut decipiant, multi quia decepti, alius criminationem alterius, gratiam captat, & fingit iniuriam, ut uideatur doluiße factã, est alius malignus, qui amicitias coherentes diuidere uelit, est suspicax, qui spectare ludos cupiat, ut ex longinquo, tutoq; speculetur, quos ipse conclusit, si de paruula summa iudicaturus es, res sine teste non probaretur, testis sine iuramento non ualeret, utrique parti dares dilationem, dares tempus, non semel aures audires, magis enim ueritas elucet, quo sæpius ad manus peruenit, amicum cõdemnas, antequam audias, antequã interroges, antequam illi accusatorem suum nosce liceat, aut cernere, quid iniquius, quam secreto corde palàm irasci. &c.

De detestatione Inuidiæ. Cap. 27.

POstquam dictum est, quòd non sit adhibẽda fides mendacijs detractorum, sequitur uidere de detestatione inuidiæ, quia liquor iniquus detrahendi semper, & obloquendi causa, uel occasio solet esse tali insanie tabescentes iniquitatis uirus euomant, & quos nequeũt, alijs suæ malignitatis opprimere miserabilis huius offensionis aggrediuntur mentia, qui iusto Dei iudicio grauius tormentorum suorum torquentur acu-

leis, suisq; morsibus corroduntur, & cum alijs nocendi existimant, ipsi suam iacturam præsentiunt. C. de leg. l. si legatarius: nam quid tam durum est, tamquam inhumanum, quam publicatione, pompaq; rerum familiarium, & paupertatis detegi uilitatem, & inuidiæ patere diuitias. C. quan. & quib. quar. pars. li. x. l. 2. ubi dicitur esse cōmune uitium negligi, quod communiter poßidetur, & nihil se habere, qui totum non habet, arbitretur, deniq; suam quoq; partem corrumpi patitur, dum inuidet alienæ, cum frequenter inter fratres oriatur inuidia. C. de bon. quælib. l. cum oportet. & nemo bonum faciens, alteri uerbo, uel facto nocere uult, sed qui liuoris stimulis agitatur c. oes. 6. q. i. unde inquit Euseb. ead. q. c. nos sequentes. &c. quod pro saluatione seruorum Dei quascunq; ad accusationes personas leges non admittunt hijs impugnandi alterum: nos enim licentiam submouemus, & nullæ accusationes à iudicibus audiātur, quæ legibus seculi prohibentur, & à malignis, & inuidis opponuntur, quia inuidia animi tanta est secund. Isod. quod sensus comedit, pectus urit, mentē afficit, cor hominis, quasi quædam pestis depascit, & secundum Crisost. inuidi sunt feris deteriores, ille enim uel quia famelicæ, uel quia prius à nobis exacerbatæ armantur ī nos, inuidi uerò nec benefactoribus suis parcūt, demonibus sūt pares, et fortaßis deteriores,

illi namque ad nos homines inexpiabilem habet inimicitiam, sed eis, qui sunt eiusdem generis non insidiantur, inuidi uerò nec comunionem naturæ uerecundantur, nec sibi ipsis etiam parcunt, quia prius torquent suas animas, & occidunt, per hoc priuatur uenia hoc peccatum, nam adulteri habent pro excusatione quoniam concupiscentiam, fur inopiam, homicida furorem, tu uerò inuide quã excusationem inuenies? numquam enim aliunde, quam ex malitia inuides, sola hæc transit fornicationem, & adulterio ualde est deterior, nam hæc quidem in eo, quem ledit, stat, inuidiæ uerò tyrannides Ecclesias, & regna seuertit, & orbem terrarum uniuersum lædit, & hæc homicidij mater est, per hanc interfecit fratrem, caym, hesau Iacob odiuit fratres Ioseph, & homines uniuersos occidit, hoc omnibus difficilius, quod indiferens extimatur, & si miserearis, & si uigiles, & si ieiunes omnibus sordidior fies inuidens, patri, fratri fornicatus est quis, & cito correptus, sed quem capit, hac mederi non uult, nec curatus est, & cum per omne uitium, ut ait August. antiqui hostis uirus cordi infundatur, in zelo inuidie tota uiscera sua serpens concusit, & in hac imprimenda malitia. q. pestem mouet. Et Ciprianus. zelus iste modum non habet, permanens iugiter sine fide, cum alia scelera finiantur, quantoq; illo, cui inuidetur successu meliore profecerit, tanto inuidus in ma

ius incendium liuoris ignibus inardeſcit, huius tortus uultus, minax aſpectus, pallor in facie, in labijs tremor eſt, ſtridor in dentibus, uerba rabioſa, & effrenata conuitia, & manus ad uiolentiam prompta, & ſi gladio interuacua odio tamen furiare mentis armata. Vnde Horatius, & Ouidius de ea ſic ſcribunt.

Inuidia ſiculi non inuenere tyranni, Orat.
Maius tormentum
Peßima res liuor, totum mortale uenenum,
Ad mala bona ſolus, circa bona ſola malignus,
Conſilium tacitè præconcipit omne malignum,
Effunditq; palam, quicquid concepit amarum.
Liuor iners uitium, mores non exit in altos, Ouid.
Vtq; latens ima uipera ſerpit humo,
Fertilior ſeges eſt alienis ſemper inagris,
Vicinumq; pecus grandius uber habet.

Et patet ex illo Sen. dicto. nulli ad aliorum reſpectum ſua placent, numquam fœlix, quem torquebit fœlicior, ut uix tempus aliquod ſine ea fuerit, ut ex his colligitur uerſibus Claud.

Numquam pars æmula defuit unquam, Claud.
Quæ grauis obſtrepet laudes, ſtimuliq; malignis,
Facta ſequeretur, quamuis ingentia liuor,
Cum lætatur homo, plorat, cum rideat, orbis
Luget, langueſcit, cum mundus floreat arte,
Cum uireat, cum res humana uireſcat,
Marceſcit, cum regnat homo, proſcribitur illa.

Risus abest, nisi, quem uisi mouere dolores
Vixq; tenet lachrimas, cum nihil lachrimabile cernit,
Sæpe mori uoluit, ne quicquam tale uideret,
Nec fruitur somno uigilantibus excita curis,
Sed uidet ingratos, intabescitq; uidendo
Successus, humanum campit, & capitur una.

Propterea dicebat Socr. Vtinam in omnibus ciuitatibus mundi oculos, & aures haberent ut de omnium profectibus torquerentur, nunquam melius torquebis inuidos, quàm uirtuti, & gloriæ seruiendo. & conuenit illud Pythag. qui alienum bonum suum arbitrantur detrimentum iumentis comparandi sunt, quibus natura pondus utilitatem facit alienam, quia inuidia ipsa (Seneca teste) maximam partem sui ueneni bibit. Vnde si homines pigros, iracundosvè censemus, huius rei in prõptu causa est inuidia, ĩuidus, qui aliorũ uidens facultates intuetur, ut Horatius. Inuidus alterius macrescit rebus opimi.

Fœlix inuidiosus qui de alio patitur inuidiam, & est inuidia mortale peccatum. xxv. di. §. aliasq; & proprie dicitur uitium diaboli. xxiij. q. iiij. c. quam magnum: unde peius malum non est Christianis, quam suis sacerdotibus inuidere. vi. q. i. c. sunt. §. uerum, quam Isid. de uit. cleric. in c. hijs igitur. xxiij. dist. fugiendum omnino dicit esse à clericis. &c.

De reprehensione iræ, furoris, & odij. Cap. XXVIII.

INuidia, quæ cunctorum scelerum, quodam modo nutrix est, quia maleuolentiæ suæ peruersitas odia præconcepta de facili detegit, cũ furoris, uel iræ stimulis agitata palliamenta depellit, cum putrefactionis antiquæ corruptio leuis tactus percußione dispumet insaniẽ, nec uiolentia grauioris motus indigeat, uel potionis nimis acerbæ suffragio materiæ preparatæ discursus, & de plenitudine sua uas semper eructet, unde motus internus per exteriora comprehenditur. Inst. de rer. diui. §. pauonum, eam refrenare facile erit, si aliqua in reprehensionem iræ, furoris, & odij adducemus, unde primum de ira loquitur sanct. Ambr. dum de sancto Ioseph scribit, ut refert Grat. in c. ira. xi. quest. iij. Ira inquit sæpe etiam innocentes ad crimen adducit, quia dum iusto amplius irascimur, & uolumus aliena cohercere peccata, grauiora comittimus, ideo apostolus ait. ad Rom. xij. non uos uindicantes carisſimi, sed date locum iræ, hoc est declinemus eam, ne nos illa corrumpat, unde dominus Iesus mittens ad euangelizandum discipulos, misit eos sine auro, sine

argento, sine pecunia, sine uirga, ut in centiua litis, & instrumenta eriperet. ultionis, & in c. seq. cum apud thesaloniam seditio esset exorta, & quidam ex militaribus uiris impetu fuisset fruentis populi extentus, Theodosius repentini nuncij atrocitate successus ad ludos Circenses inuitari populum, eique ex improuiso circumfundi milites, atque obtruncari passim, prout quisque occurrißet gladio iubet, & uindictam dare non crimini, sed furori, ob hoc cum à sacerdotibus Italiæ redargueretur, agnouit delictum, culpamque cum lachrimis in hoc sibi tempus ascriptum absque regali fastigio patienter impleuit, quibus omnibus illud quoque mirabiliter adiecit, leges sanciuit in posterum, ut sententiæ principum super animaduersione prolatæ in dies triginta ab exequutoribus differãtur, quo locus misericordiæ, uel si res tulißet, non deperiret, ut legitur in histor. Eccles. unde ille tex. est sumptus. li. xi. cap. xviij. & fuit dicto principi pro pænitentia impositum à beato Ambrosio, ut clarius habetur in histor. tripar. li. ix. cap. xxx. & est posita lex. in 9. libr. cap. tit. de pæn. l. si uendicari. & sancta appellatur lex ad mitigandam iram principis, licet de iure in criminalibus statim debeat fieri exequtio. l. cum reis. c. eo. c. sicut ij: q. i. unde illa est propositorum sollicitudo utilis, illa est cautela laudabilis, in qua totum ratio agit, & furor ni-

bil sibi uendicet, restringenda est sub ratione potestas, nec est quid agendum prius quam con citata ad tranquillitatem mens redeat, nam comotionis tempore iustum putat omne, quod facit, ead. q. c. illa, ideo iudicare digne de sub ditis nequeunt, qui in subditorum causis sua uel odia, uel gratiam sequuntur. ead. q. c. iudicare, quia maxime præcauendum est, ne rectores, & qui publica iudicia exercent in dictandis sententiјs nullatenus leuitate, aut furore animi ducti sint præcipites, sed causis prius diligenter uentilatis, secundum quod constitutum est, remota omni perturbatione diffinitiua sententia proferatur, ibidem. c. summopere. & iudicibus immodice seuientibus freni qnidem temperies adhibita uideatur. c. de cust. reor. l. quisquis. & August. humanum iudicium peruertitur odio, dum contra quemlibet aduersarium molimur, ead. q. cap. quatuor modis. Vnde Hor.

Ira furor breuis est, animũ regere, qui nõ paret, Horat.
Imperat hunc frenis, hunc tu compesce catenis.

Propterea dicebat Seneca, quod ira est concitatio animi ad ulciscendum uoluntate, & iudicio pergẽtis, eo distat ab iracũdia, quò ebrius ab ebrioso, & timens à timido, iratus potest non esse iracundus, sed iracundus non potest aliquando iratus non esse, ideo quicquid calore iracundiæ uel fit, uel dicitur, non prius ratum est, quam si perseuerantia apparuerit iudicium

mi fuiße, ideoque per calorem mißo repudio reuersa est uxor, nec diuertisse uidetur, Vnde uersus.

Ira genus flammæ, materque furoris ab ipso
Felle trahens ortum, cor, & interiora uenenat,
Pungit felle, cremat flamma, turbatq; furore,
Exit in hac ipsa forma, uox fellea, uultus
Accensus, gestus turbatus, & interiorem
Exterior sequitur motus, pariterque mouentur,
Ora tument. iræ nigrescunt sanguine uenæ,
Lumina garganeo sæuius igne micant.

Et Chriso. furibundus non est boni formis, sed est turpis uisu furente sticho de formis seuero uisu, multo magis animo. Vnde Verg.

Furor, iraque mentem præcipitant

Et Horatius.

Qui non moderabitur ire
Infectũ uolet eße dolor, quod suaserit, & mens
Dura, pœnas odio per uim festinat in ullo
Sæuit, & in minimis cor lacerat ira sagittis,
Excecat mentem, tollit de pectore pacem,
Immemor ira sui est, & quæ rapit impetus iræ
Ebria discurrit, & se sociosque flagellat

Et ut ait Sen. linquit decor omnis iratos capilli, cum animo inhorescunt ueñæ concutitur crebro spiritu, pectus rapida uocis eruptio colla distendit, tunc arcus tepidi inquietè manus totius cordis fluctuatio, qualem intus putas eße animum; cum externa imago tam

fada est, quanto illi intra pectus terribilior uultus est, acrior spem interior impetus rupturus se, nec erumperet. sicuti lepidè ait Prudentius.

Ipsa sibi est hostis uesania, seque furendo
Interimit, moriturque suis ira ignea telis.

Et nihil iniquius est secundum eundem Sen. quam aliquem heredem paterni odij fieri, quid enim gloriosius, quam iram in amicitiam mutare; hæc discordia secundum Socratem, interdū charior est concordia. Vnde notandi sunt uersus Horatij. cōtra ludum, à quo cuncta proueniunt.

Ludus. n. genuit trepidum certamen, & iram,
Ira trucis inimicitias, & funebre bellum,
Alter rixatur de lana sæpe caprina.

Vnde Ouid.

Cede repugnanti cedendo uictor abibis

Et Cato. lis uerbis minimis, interdum maxima crescit: quia ut inquit not. Sen. cum pari contemnere anceps est, cum superiori furiosum, cum inferiori sordidum, ille melior, qui prior pedem retulit, uictus est, qui uicit, percussit te, recede, referiendo enim, & occasionem sæpius feriendi, & excusationem dabis, nec poteris reuerti, cum uoles, quis uelit tam grauiter hostem ferire, ut relinquat manum in uulnere, & ab ictu reuocare non possit, quid opus est, cum uelis aliquem cedere, tua prius labra mordere.

uindictam differ, donec pertranseat ira. quia ad rem summa diligentia tractandam liber omni perturbatione accede, male irato ferrum committitur, nec minus, quam irasci punientem decet, cum eo magis ad emendationem proficiat, si iudicio lata est, inde est, quod Socrates ait, seruo cederem re, nisi irasserer, ergo ad cohertionem scelerum irato castigatore opus non est, nam cum ira delictum animi sit, non oportet peccata corrigere peccantem, maximum remedium iræ dilatio, ut primus feruor eius relanguescat, & caligo, quæ premit mentem, aut resideat, aut minus derelicta sit, potest pœna dilata exigi, non potest exacta reuocari, Plato cesurus seruum, cum intelligeret se irasci, sicut se abstulerat, manum suspensam tenebat, & stabat similis percußuro, interogatus, quid ageret, exigo pœnam ab homine iracundo, oblitus erat serui, quia alium, quem post castigaret inuenerat, itaque abstulit sibi in suos potestatem, & alij obiurgandum tradidit, dicens non sit iste seruus in eius potestate, qui in sua non est, propter illud Lucani.

Deserat hic feruor mentem, cadat, cadat impetus amens.

Et illud Catonis

Impedit ira animum, ne posit cernere uerum.

Propterea nocenter scribit Claudianus dum inquit

Qui fruitur pœna ferus est, legumque uidetur
Vindictam prestare sibi, cum uiscera felle
Canduerint, ardet stimulis, fertque nocendi
Prodigus, ignarus causæ, dijs proximus ille est,
Quem ratio, non ira mouet, qui facta rependens
Consilio punire potest, qui pectore miti
Seruat in offensam diuina modestia uocem,
Temperiem seruant oculi, nec lumina feruor
Asperat, aut rapidas suffundit sanguine uenas,
Nullaque mutati tempestas proditur orbis,
Quin etiam fontes expula corrigit ira,
Et placidus delicta domat, nec dentibus unquã
Instrepit horrendum fremitum, nec uerbera poscit.

Ira enim inter septem capitalia peccata connumeratur, quia suscitat rixas, contumelias, clamorem indignationem, blasphemiam, scilicet quando procedit usque ad odium proximi, ita quod uult notabiliter nocere proximo in rebus, corpore uel honore, tunc est mortale, si autem ex commotione subita uult malum proximo, non bene deliberatus, quod tamen deliberatus non faceret, non est mortale &c. ex ira enim perditur sapientia. ut Eccl. vij. ne sis uelox ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit, & eod. lib. Eccl. cap. xxx. x. & Prouer. xv. Genes. iiij. Matt. v. Iac. pri. Ephes. iiij. ubi habentur mala ex ira prouenientia, quando

quę tamen ita est uirtuosa, scilicet quando homo quærit correctionem peccati, & non uindictam proximi, nec eius nocumentum, sed solum quærit uindictam offensæ culpæ, & talis ira uocatur bonus zelus, de qua scribit psalm. iiij. irascimini, & nolite peccare, &c.

De commendatione pacientiæ, & quod uirtus in persequutione firmatur. Cap. XXIX.

MOtus illiciti ex ira, furore, odioue aducti, & quos uitia præmissa percurrunt patientiæ refrenatur habenis, cuius armatura munitus uir sapiens omninm nociuorum dispendia superat, & gloriosæ uictoriæ felicitatem triumphat, quam non impugnando, sed ignoscendo consequitur, c. de epis. & cler. l. si quis. in hoc sequitur, ut de ipsa pacientia dicamus, uerum quia, patientiæ filij nulli deprimuntur aduersis, sed ipsorum uirtus potius in persequutione firmatur, & suæ constantiæ relinquunt exempla cum sicut uasa figuli fornace probantur, sic iustorum tentatio tribulationis ostendat. de pœnit. di. ij. §. opponitur, additur, & quod uirtus in persequutione perficitur. unde de pacientia

cientia loquitur Augusti. in sermone de puero Centurionis, transumptiue in c. paratus. xxiij. q. i. c. paratus. circa med. quod sunt præcepta patientiæ semper in cordis armario retinenda; ipsa quoque beneuolentia, ne reddatur malum pro malo, semper in uoluntate seruanda, siue complenda. & in c. i. de beato Andrea legitur, quod cum fieret populorum concursus, ut de manibus iniqui iudicis eum eriperent, & ab iniuria mortis illum defenderent, ipse ècontra uerbo, & exemplo pacientiam, docens rogabat eos nè suum martirium impedirent; quid admonemur, quam sicut proprias, ita & sociorum iniurias patienter tolerare, nec ad arma concurrere, sed eorum exemplo ad similia ferenda animum præparare, quod utique docetur euangelica lege, cum dicitur, si quis percusserit te in una maxilla, prebe ei & alteram, item qui angariauerit te mille paßus, uade cũ eo duo millia, in omnibus ergo præmißis præcipitur, ut uindicta delinquentium diuino reseruetur examini cum præcepta pacientiæ in præparatione cordis non ostentatione obseruanda sunt: ideò ad propulsandam iniuriam non sunt petenda armorum auxilia, quod autem petendum non est, id iure præstari non debet, sed multa rite præstantur, quæ tamen iure non petentur, bonus enim non rite iniuriæ uindictam peteret, quia malum pro malo redderet,

quam tamen iudex recte infligeret, nec nisi bonum pro malo redderet. xxiij. q. iij. c. i. ideo tu bonus tolera malum, nam & Christus iudam cum sentiret furem esse tollerauit, etiam cum alijs ei eucharistiam dedit. ead. caus. q. iiij. c. tu bonus. & quantus arrogantie tumor est, quæ dam humilitatis, & leuitatis obliuio, & arrogantiæ quanta iactatio, ut quis se posse facere credat, quod nec apostolis cōcesit Dominus, ut zizaniam uidelicet à frumento posse putet se discernere. ead. q. c. quantus. si ergo dicit Grego. (ibi. c. hæc autem) boni estis in hac uita, quamdiu subsistitis, malos æquanimiter tolerare, nam quisquis malos non tollerat, ipse sibi per intolerantiam testis est. quia bonus non est, Abel enim renuit esse, quem Cayn malitia non exercet, & August. in c. quidam. ead. q. gressus uestros in uiam Domini redigentes, nec patientiæ nomine torpescamus, nec obtentu diligentiæ sæuiamus, quia nihil te ostendis de cælestibus cogitare, sed terrenam te habere conuersationem significas, dum pro uindicta propriæ iniuriæ, quod sacris regulis prohibetur, maledictionem iniungis, unde omnino esto circumspectus, atque sollicitus, & tallia cuique pro defensione propriæ iniuriæ nullatenus inferre presumas, sic inuehit sum. Pontif. ead. q. c. inter querelas. sed transactis motibus animorum, qui recentioribus factis solent truculentius excitari ægregie luculenta bonitas apparebit. xxiij.

q. v. c. ij. ideo ne resistamus malo, ne nos uindi
cta delectet, quæ alieno malo animum pascit,
non ut correctionem hominum negligamus, un-
de si reus est mortis alienæ, qui cũ suæ possessio
ni murorum ambitum circumduxit, aliquis ex
ipsorum usu percussus interijt, neque enim reus
est Christianus, si bos eius feriendo, aut equus
calcem iacendo aliquem occidat, aut ideo non
deberẽt Christianorum boues habere cornua,
aut equus ungulas, aut dentes canes, absit enim
ut ea, quæ propter bonũ, ac licitũ facimus, aut
habemus, si aliquod per hoc præter nostram uo
luntatẽ cuiq; mali acciderit, nobis imputetur,
alioquin nec ferramenta domestica aut, agrestia
sunt habẽda, ne quis ex hijs, uel se uel alterũ pe
rimat, nec fenestra est faciẽda, ne p hãc quisquã
se precipitet, et quid plura narrãdo, cũ ea cõme
morãdo finis nõ esset. ead. q. c. de occidendis. nã
quid est (subdit in fine tex.) in usu hominũ tã bo
nũ, ac licitũ, unde non possit pernicies irrogari.
&c. et ĩ c. lex eterna, quæ ita medio quodã loco
posuit aliqua, ut in eis usurpandis merito repre
hẽdatur audacia, in exequẽdis laudetur obediẽ
tia, & pacientis obsequium comprobetur, nam
si Abraam spontanee in occidendo filium motus
fuisset, execrabilis haberetur, at iubenti Deo ob
secũdãs famulatus est. Vnde dicimus nõ esse ini
quitatis, sed potius humanitatis societate deui
ctus, qui propterea est criminis persequutor, ut

ſit hominis liberator. ead. q. c. non eſt. & hinc ſanctè dixit Innoc. iij. in c. niſi cum pridem. extra de renunc. quod cũ ocioſitas, atque uoluptas arma ſint hoſtis antiqui ad miſeras animas capiendas propter laboris anguſtiam, aut perſequutionis incurſus, non debes deſerere conſtantiam, ſeu patientiam ſciens, quia beati ſunt illi, qui perſequutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam cum probati fuerint accipient coronam uitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe, & tunc ueram uitæ pacientiam, & humilitatem cuſtodies, cum per eam locum ſublimem effugies, & per obedientiam non dimittes: ideo pacientiam, & modeſtiam, quam ll. & publica diſciplina, & ipſorum monacorum nomen expoſcit, ſtudioſe unuſquiſque, quam cuiuſlibet alterius profeſsionis retineat, & perpetuo obſeruare procurat, ecce quanto tẽpore hæc uirtus commendatur. c. de Epiſ. & Cler. l. decernimus. quia ſi perniciosſum eſt proiectam in tranquillitate nauem deſerere, quanto magis in fluminibus, nam ſi pro qualibet tẽporali debilitate ſuſceptæ ſeruitutis officium poßet deſeri, fruſtra ſe fateretur apoſtolus in ſuis infirmitatibus gloriari, pro talibus .n. dicit, cum infirmor, tunc fortior ſum, quia nonnumquam infirmitas corporis fortitudinem cordis augmentat. d. c. niſi cum pridem. & c. i. eod. tit. indecens omnino probatur, prius ſoluere militiæ cingulũ, quã

cedat uictori aduersitas praeliorum. quia aduersitas, quæ hominis uotis obijcitur probatio uirtutis est, non iudicium reprobationis est. 7.q.i.c. aduersitas. nempè in cūctis. quæ in hac uita aduersa proueniunt, sola est omnipotentis Dei districtio cogitanda, atque cor proprium semper recurrendum, ut nullius ibi lingua implicet, ubi cō scientia non accusat. xi.q. iij.c. in cunctis. Cum occisores corporis non sint timendi contra iustitiam homines impellentes. xxxi. q.ij.c. Lotharius, & ut supra dixi, uasa figuli probat fornax, homines autem iustos tentatio tribulationis, & ignis aurum probat, miseria fortes uiros, gubernatorem in tempestate, in aciem militem instigas; calamitas uirtutis occasio est, miramur quædam animalia, quæ per medium ignem sine nota corporum transeunt, quanto mirabilior noster, qui ferrū, & ignem securus euadit, facilius est totam gentem, quam unum uirū uincere. de pœ. di.ij.c.i.§. opponitur, in quo sunt uers.

Quod fornax auro, quod ferro lima flagellum,
Grano quod praelium, botro tribulatio iusto,
Iustus in aduersis aurum uelut igne probatur,
Et nisi uincenti nulla corona datur.
Laurea pro pœna, pro morte corona resultat,
Vnde laborat homo, premiat inde labor.

Et Thobias satis succincte dixit.

Verbera sunt patris, uelut ubera grata medetur, Thob.

Vulnera uulneribus mulcet, amore domat,
Elimat, & recoquet, figulus sua uasa flagellat:
Quas recipit medico uulnera pastor oues.

Sic inquit Sen. paternum habet Deus aduersus bonos animum, & illos operibus, doloribus, damnis exagitat, ut uerum colligant robur, nõ est arbor solida, nec fortis, nisi inquam frequens uentus incursat, hos quos amat Deus, in, dura exercet, eos, & quibus indulgere uidetur, uenturis malis seruat, de quo Prudentius Poeta

Prud. Omnibus una comes uirtutibus auxiliatur,
Auxiliumque suum fortis pacientia uincit,
Nulla anceps luctamen iuit uirtute sine ipsa,
Et pulchre Thobias sequitur addens
Thob. Nam uirtus uidua est, quam non pacientia firmat
Nobile pugnandi genus est, pacientia uincit,
Qui patitur: si uis uincere, disce pati,
Disce grauanda pati, pacientia temperat iras,
Et duros animos mentis oliua domat,
Per nimios æstus gelidas transitur ad undas,
Sicque per oppositum dulcia quærit homo

Quodque sit uerum, exemplum in Romanis patet, qui nisi hac uirtute imbuti, fortes non superaßent exercitus, totumque minime debellassent orbem, quia generosos animos (secundum Sen.) labor nutrit, nec potest magno spiritu ad certamen adduci, qui numquam

ſigillatus eſt ille, qui ſanguinem ſuum fudit, cuius dentes crepuere ſub pugno, ille ſupplantatus aduerſarium toto pectore tulit, nec proiecit animi impetum, qui quoties cecidit, contumacior reſurrexit, & cum magna ſpe deſcendit ad pugnam, ad uerſus omnia, quæ inuadere poſſunt, & potentisſimus exercitare, & in dura, noli huic tranquilitati confidere, momento mare conuertitur, eodem die ubi luxerunt nauigia ſorbentum, ubi maxime gaudebis, maxime metues, ubi tranquilla omnia uidentur, ibi nocitura non deſinunt, ſed quieſcunt, ſemp er ſuturum aliquid, quod te offendat, exiſtima, in ipſa ſecuritate ſe animus ad difficilia præparet, & contra iniuriam fortunæ inter beneficia firmetur, dure tractandus eſt animus, ut ictus non ſentiat niſi graues, cum ſecundum Thob. Thob.

Sic tentat famulos Deus, ut pacientia præſtet
Exemplum, quaſi ſol colleterale iubar:
Ignis paleas diſcriminat, area ſummi
Iudicis elimat, membra flagellat amans.

Ideo magni uiri quædam dura patiuntur, ut alios pati doceant, nati ſunt in exemplar magis exemplum nec mala fortuna non inuenit dure: generoſos ſpiritus tentat Deus, numquam uirtus molle documentum eſt, ſic in certaminibus ſacris,

plerique uicerunt, cedentium manus obstinata paciētia fatigādo, propterea dicebat Lucanus.

Luc. Nomine passa Dei redolet, tribulatio parcit,
Paßio delectat, laesio pœna sapit,
Quando tentaris Christi, mala si meditaris,
Non prosterneris, sed bene uictor eris,

Namque solatium est (dicebat Sen.) pro honesto dura tollerare, & ad causam à patria respicere, quanto plus tormenti plus erit gloriæ, ut idem Lucanus.

Luc. Cogit magnos tollerare labores
Summa ducis uirtus, gaudet paciencia duris.
Lætius est, quotiens magno sibi constat honestū.

Cum oculeos (teste Sen.) surridunt ex nobilia, ob hoc est uita instruenda exemplis illustribus, habet enim hoc optimum generosus animus, quod concitatur ad honesta, ut est uersus Ouid.

Ouid. Aspicis, ut pressos premant iuga prima iuuētos.
Et noua uelocem cingula lædit equum.

Quia sicut dicebat Claud. digna minus cōsueta nocent. Vnde cogita compeditos primo ægrè ferre bonam, & impedimenta crurum, demum uerno indignari illa, sed pati proposuerunt necessaria, ferre docet consuetudo, paulatim uoluptati sunt, quæ à necessitate cæperunt contentum periculorum assiduitas periclitandi dabit: sic Ouid. in arte.

Ouid. Leue fit, quod bene fertur onus.

Ideo turpis est nauigij rector, cui gubernacu la fluctus eruppit, qui nauem tempestati permi sit, at ille in naufragio laudandus est, quem ma re obruit nauem tenentem, & abnixum, quia leuiter ex merito, quicquid patiare referendũ est. Et si dolor est exiguus, feramus, leuis est pacientia, si grandis est, non leuis gloria, nemo potest ualde dolere diu nos, sic amantissima no stri natura disposuit, ut dolorem, aut tolerabi-lem, aut breuem faceret, omnes sensus produ-cendi sunt ad firmitatem, naturam patientes sunt, si animus desit illos corrumpere. de quo extant uerba Catonis.

Equo animo pœnam, qui meruere ferant, Cato.
Quod merito pateris patienter ferre memento,
Cumq; reus tibi sis, ipsum te iudice damna.

Et Ouidius.

Estq; pati pœna, quam meruisse minus, Ouid.
Pœna potest demi, culpa perennis erit.

Et facit illud Isidori aureis literis scribendũ, quicquid contigit aduersi, pro peccatis tuis eue nire considera. Vnde si affecti sumus pœna, suc-currat non tantum quid patiamur, sed quid fe-cerimus, in consilium delicta nostra uertamus, si modo uerum dicere nobis ipsi uoluerimus, pra lium uitam nostram extimabimus, hoc primum nobis persuademus, neminem nostrum esse sine culpa, hinc maxima indignatio oritur, nil pec-caui, immo nihil feceris, cum hoc ipso pecca-

mus, quia adijcimus malefactis arrogantiam, & contumaciam, quis est qui profitetur se legibus omnibus innocentem, alia fecimus, alia cogitamus, alia optauimus, alia ommisimus, ĩ quibusdam innocentes sumus, quia nõ successerunt, & dum cor tribulatione premitur, ad memoriam reuocatur culpa, doletq; se ad laborem cum culpa perueniße, & quam sit iniquum, quod ammiserit, ex ipsa fractus difficultate cognoscit 13.di.c.nerui.uers. alius pensare, cum res pœnè contra naturam sit, ut sine peccato aliquis sit, author est diu. Hier. quem refert Grati. in c. perfectis. uers. nomine autem 25. di. & dicit scriptura, graue est carnale delictum committere, sine quo pauci inueniuntur. 50. di. c. quia sanctitas. in fi. & sancti theologi inter species fortitudinis pacientiam connumerant dicentes, pacientia est iniuriarum, atq; contumeliarum, & omnis aduersitatis impetus æquanimiter portans. uirtus igitur patientiæ tribus modis exerceri solet, nam alia sunt, quæ à Deo sustinemus, alia, quæ ab antiquo aduersario, & alia, quæ à proximo. quia à Deo flagella tolleramus, à Diabolo tentamenta, à proximo persequutiones, damna, & contumelias, ut scribit Greg. in quadam homel. pacientia est, quæ fidei nostræ fundamenta nutrit, & munit, incrementa spei nostræ sublimiter prouehit, & actus uitæ nostræ dirigit, patientibus enim paratus est dominus

ad dimittendum delicta, & ad reddenda patientiæ præmia, patet Iob. cap. 5. & Luc. cap. xxi. in patientia uestra poßidebitis animas uestras, &c.

De commendatione constantiæ, uitio reprehensionis inconstantium, & in pœnitentia non perseuerantium. Cap. XXX.

PAcientia, ut perfectior reddatur, aßiduitatem constantiæ habere debet, quia ipsius firmitas in bonis operibus perseuerantiæ tribuit, & interim pacientiæ robur auget, quod nullius persequutionis angustijs, nullius afflictionis aculeis, nullius iacturæ dispendijs, à rectitudinis zelo, ueriq; prosequutione mouetur, paratur enim potius omnia mala pati, quam malo consentire. 32. q. 5. c. ita ne, ideo de uirtute ipsius constantiæ dicere sequitur, & cum pudicitia uirtus sit animæ, comitemq; hanc constantiæ fortitudinem habet numquam malo consentire, quia nullus magnanimus, & pudicus in potestate habet, quid de sua carne fiat, sed ut fortis animi non inclinet assensum. dict. c. ita ne. & cap. seq. proposito animi permanente Thol.

per quod etiam corpus sanctificari meruit, sanctitatem non aufert uiolentia libidinis alienæ, quam suæ continentiæ, suæ constantiæ perseuerantia seruat, quia sicut meliores inueniri non possunt, quam qui in monasterijs profecerunt, sic deteriores experiri non poteris, quam qui in monasterijs defecerunt. 47. di. c. quantumlibet. propterea dicebat Imperator in auten. de mon. in prin. quod debemus experimento eorum tollerantiam, & honestatem percipere, non enim facilis est uitae mutatio, sed cũ graui animi fit labore. quia erronea est uita nullatenus tollerantiæ proxima, neq; constantis, & persistentis animæ, sed iudicium habentis circundatæ, & aliun de alia requirentis. nam artium in suo quoque opere inuenitur mater instantia. 83. di. c. fi. nulla enim est constantia animi, ubi mutatio fit uoluntatis. quia reperiuntur, qui sæpius agẽdam pœnitentiam putant, qui luxuriantur in Christo, nam si uerè pœnitentiam agerent, iterandam postea non putarent, quia sicuti unum baptisma, ita una est pœnitentia facilius enim inuenitur, qui rectè seruauerit innocentiam, quam qui congruam egerit pœnitentiam, illusor autem est non pœnitens, qui adhuc egit, quod pœnitet, canis reuersus ad uomitum est pœnitens ad peccatum. de pœnit. di. 3. c. reperiuntur. c. irrisor. & c. seq. ubi inanis est pœnitentia, quam sequens culpa coinquinat, uulnus iteratum tar-

dius sanatur, frequenter peccans, & lugens ueniam uix meretur, nihil prosunt lamenta, si repetantur delicta, nec ualet ueniam à malis poscere, & mala denuo iterare. & paulopost, in cassum quippè bonum agitur, si ante uitæ terminum deseratur, quia & fructus uelociter currit, qui prius quam ad metam perueniat, deficit. ideo maledictus est homo, qui terram duabus uijs ingreditur, & non induit uestem lino, lanaq; contestam, & minus malum est uiam domini non agnoscere, quam post agnitam retroire. extra. de apost. c. quidam. Vnde Imperator, nec eos sanè à periculo pudoris haberi uolumus immunes, qui adulandi studio aut, metu inconstantis ignauiæ trãsire, quæ sunt interdicta tentauerunt. c. de sta. & imag. l. i. quia satis absurdum est redire ad id, cui renunciandum putauit. quis enim ferendus est ad appellationis ueniens auxilium in hijs, quæ ipse facienda procurauit, cum nimis crudele est parti, quæ hoc detulit, propter hoc ipsum quod iudex eius petitionem sequutus est, superesse prouocationem. c. de reb. cred. l. generaliter. §. i. & ij. in fi. quia leuitati perfectam donationem reuocare cupientium iurè succurratur, c. de cond. ob caus. l. si repetendi, & sicut in initio libera potestas est, cuique habendi, uel non habendi contractum, ita renuntiari semel obligationi aduersario tuo non consentiente minime potes. c. de actio. &

oblig. l. sicut, & nimis indignum iudicatur, ut quod quis sua uoce dilucide protestatus est, ad eundem casum firmare, testimonioq; suo resistere. Vnde sunt uersus ante Claud.

Non eat in motus uarios, sed firmiter uni
Ante Claud. *Insistat mens fixa bono*
Nil teneat, nè sic animus discurrat ubiq;
Quod unusquam, ne singula tentans,
Qui nulli sic cuncta probus, quod singula pdat.

Ideo magnum, summumq; bonum est, Deo uicinum non concuti, ut inquit Seneca, proprium ægri est nihil diu pati, & mutationibus, ut remedijs uti, (ut ait Lucretius) hoc sequisq; modo fugit, sed quid prodest, si non effugit, sequitur se ipse, & urget grauißimus comes, itaque non est locorum uitio, quo laboramus discurrere, & inquietari mutationibus, ægri animi est, nulli fortuna tam dedita est, ut multa tentanda ubiq; respondeat, numquam tam feliciter in multa discurrenti, neq; dies transit, ut non aut ex homine aut ex re offensa nascatur, nusquam est quod ubique est, non conualescit planta, quæ sæpe transfertur, non uenit uulnus ad cicatricem, in quo medicamẽta tẽptantur, nihil æquè sanitatẽ impedit, quã remediorum crebra mutatio, fastidietis animi est, multa degustare, quæ ubi uaria, et diuersa inquinãt, nõ alũt, omnis stultitia labo rat fastidio sui, adherẽdũ igitur sẽper dicto Cat.

Cato. *Quod potes, id tenta, operis ne pondere præßus,*

Succumbat labor,& frustra tentata relinquas.

Nec est per multa iactandus animus,ut quietus esse poßit, nec magnarum rerum fatigandus:facile est leuia iactare ceruicibus,& in hãc, uel illam partem,si est lapsus transferre,alienis in nos manibus imposita ægrè substinemus, & etiam dum stamus sub sarcina, impares hominũ uacillamus,negocia expedita,& habilia sequuntur authorem, ingentia supra mensuram, non dãt se facile,& si occupata sunt,animũ sternũt, quoties aliquid conãs te simul,& ea,quæ paras, quibusq; parãs ipse metire. Vnde Ouid. in fastis.

Omne solum forti patria est, ut piscibus æquor,
Et uolucri uacuo,quicquid in orbe patet, Ouid.

Et idem in arte aman.

Aut non tentaßes,aut perfice:
Numquam ceruicem sine cauda pingere tentes
Nam sine fine suo primiciare nocet.
Si cupis optatam cursu pertingere metam,
Et bene cæpisti,sic bene semper eas:
Cæpisti melius,quam desinis ultima primis
Cædunt, dißimiles hic uir, & ille puer.

Quod etiam testatur Thobias,dum ait.

Nil credas actum,cũ quid superextat agendũ, Thob.
Si modo durabis,præmia digna feres:
Nec quot transieris, nec quot tibi quare supersint
Milia,nec maneas,nec prope fige moras,
Finem quippe Deus, non præteritos notat actus

Transactos redimit ora suprema Deos,
Exitus acta probat, careat successibus opto,
Quisquis ab euentu facta notanda putat.

Causæ namq; terminus manifestare poterit, quid inuidius, quidq; audacius rem fuerint persequuti. C. de iud. l. rem non nouam. in fi. quam legem interpetrans Bulgarus deridetur à scolaribus, cum nocte uiduam duxisset in uxorem: cum enim quid super est addendum, nihil esse actum creditur. C. ad sillan. l. cum sillàn. inconstantes enim principi aßistere nequeunt, sic in suos inuebit Constantinus Imperator, ut lib. pr. hist. Tripart. cap. 7. uirtutis namq; laus (ut scribit Plut. in Platone) in actione consistit, quia non qui incœperit, sed qui perseuerauerit, hic saluus erit. &c.

Debemus cum consilio, & deliberatione procedere, & omnia secundum temporis conditioné perficere, licet solus Deus perfectè poßit scire futura. Cap. XXXI.

Celeritas repentini motus, qui sine deliberationis examinatione procedit, est totius instabi-

instabilitatis, & uariationis actio, dum quid quid concilij maturitate perficitur, non soleat pœnitentiæ rubore confundi, sed stabilitatis effectu, firmitateq; potiri. C. de rep. l. dubium, ideo uiso de constantia, uideamus de modo procedendi cum consilio, & deliberatione, & secundum conditionē temporis: & facit primo quod dicebat Calistus Papa, tempore indigemus, ut aliquid maturius agamus, ne præcitemus consilia, & opera nostra, neq; eorum ordinatione corrumpamus. 50. di. c. ponderet. quia in subsidium fragilitatis humanæ spacium deliberationis est regulariter institutum de regul. & transf. ad relig. c. ad apostolicam, & quidem tria sunt præcipuè in quolibet negocio attendēda, quid liceat secundum æquitatem, quid deceat secundum honestatem, & quid expediat secundum utilitatem extra deuot. c. magnæ deuotionis &c. nam & si aliqui per se pugnare non poßunt, maturitate tamen consilij adeße ualent pugnantibus, & personæ defectum animi præminentia compensare. eod. tit. c. ex multa. §. pr. infi. nam ea est perfectio consilij maturius in melius cogitare, nec graue uideri debet cuiuscumq; retractare iudicium, quia ueritas sæpius examinata magis splendescit in lucem, & fructus diuinus est iustitiam sæpius recenseri, 35. q. 9. c. graue. & in c. apostolicæ. inquit Gregor. quod apostolicæ sedis sententia, cum consilij moderatione perfici-

N

tur, cum pacientiæ maturitate decoquitur, cum deliberationis grauitate profertur, immutari, uel irritari non debet, omnia enim, quæ consilio recte geruntur, iure, meritoq; effectu, & firmitate niti dubium non est. C. de repud. l. dubium, ad quod interogatus Imperator, placetre, spondit in l. si auiam. C. de ingen. manu. quod si cum peritioribus tractatum habuisses, facile cognosceres ueritatem. cum omnibus sit deliberationis copia, quæ in discußis hominum calores potest refrenare. in auten. de appel. & intr. quæ temp. com. med. interest namque uiuentium, ne præcipitentur, quamdiu iuste deliberant. ff. de inter. acti. l. & quia. ideo statutum est, quod iudices, quos cognoscendi, & pronunciandi neceßitas manet, non subitas, sed deliberatione habita post negocium sententias ponderatas sibi ante formarent, & enim datas statim in libellum sequuta fidelitate conscribent. C. de sent. ex peri. recit. l. hac lege. nec de uno tantum esse experiundum, quia nemo ex consilio obligatur, etiam si non expediat ei, cui dabitur, quia liberum est cuiq; apud se explorare, an expediat ff. mand. l. 2. §. fi. & interdum locus, tempus, non patitur plenius deliberandi consilium. ff. de exer. l. i. §. i. immo si deliberari adhuc se dicant, qui consuluntur, aut qui aliquid agere ueloces non sunt, præcipitandi haud sunt: ff. de succes. edit. l. i. §. sanæ. quod autem quis diu non eligit,

nec optat, profecto non diligit, quod autem non diligit, facile contemnit, nullum ergo bonum, nisi prouisum, & uoluntarium. 20. q. 3. c. praesens. circa med. quia Pomponius ait eam scientiam esse obseruandam, non quae cadit in iuris prudētes, sed quam quis aut per se, aut per alios aßequi potuit, si consulendo peritiores, ut diligentiores patres fam. consulere dignum est. ff. quis ord. in bo. poss. ser. l. 2. §. uult, & praecipue uiris bonis conuenit salubre consilium admittere. ff. de admin. tut. l. pater. §. pr. ideo spacium datur, ut non ita continuum tempus exigendum sit, ut praecipitari cogatur haeres, ff. de stat. lib. l. si peculium. §. ulti. & sicut quaedam sunt, quae nulla possunt ratione conuinci, ita multa sunt, quae aut pro neceßitate temporum, aut pro consideratione aetatum oporteat temperari, illa sēper conditione seruata, ut in hijs, quae dubia fuerint, uel obscura, id nouerimus sequendum, quod non praeceptis euangelicis contrarium, nec dictis sanctorum patrum inueniatur aduersum, nec bonis moribus, rectisq; consilijs alienum di. 14. c. fi. immo in rebus ambiguis absolutū non debet eße iudicium, sed firma deliberatione consultum. c. fi. 33. di. & quod pro remedio, ac neceßitate temporis statutum est, constat primitus non fuisse constitutum, quod enim neceßitas pro remedio reperit, cessante utiq; neceßitate debet ceßare pariter

quod urgebat. c. quod pro remedio. pr. q. 7. & si duo mala licet cautissima omnino sunt praecauenda, tamen si periculi necessitas unum ex hijs patrari compulerit, id debemus resoluere, quod minori nexu noscitur obligari. quid autem leuius ex hijs, quidve grauius sit, purae rationis acumine, ac deliberationis consilio inuestigemus. 13. di. c. pr. impr. & sicut hij, qui in mari nauigant tempestate urgente, nauiq; periclitante anxiati quaedam exhonerant, ut caetera salua permaneant, ita & nos, cum non habemus saluandorum omnium negociorum poenitus certitudinem, salubri ducti consilio despiciamus ex hijs quaedam, nè cunctorum patiamur dispēdium. sic tex. in c. dispensationes. i. q. 7. vnde inquit Inno. in c. pr. ut Eccles. ben. sin. dim. conf. quod si & locum Dei tenemus in terris, non tamen possumus de occultis diuinare. quia secretorum cognitor Deus ipse iudex est. in quo uidenda sunt, quae diuus August. recenset in libr. de potest. dem. transumptiue in c. sciendum. 26. q. 3. ubi scientia ei attribuitur per tam longum tempus, quo eorum uita protenditur rerum longe maior experientia, quid enim paenitere cadet, si carmina Anteclaudiani attendamus, dum inquit circa res faciendas cum consilio. inserens de demonibus, quid fere ait Aug.

Anti claud. *Est ratio mensura boni, quam semper adherens*
Felici greßu, felix comitatur honestas,

Et decus, & cuncta trutinans prudentia libra,
Hæc homini ratio facit, ut præcepta repente,
Præueniens animo factum deliberet, ante
Quam faciat, primumq; suos examinat actus,
Diuidat à falso uerum, decernat honestum
A turpi: uitium fugiat sectator honesti,
Hij longe uentura notant, dubijsq; parati
Casibus occurrunt, fabro meliore politi,
Hij pecudum non impendentia uitant,
Nec res ante uident, accepta Clade feruntur
Et sciri transacta gemunt.

Quia secundum Boet. non solum, quod ante oculos situm est, sufficit intueri, rerum enim exitus prudentia metitur. Hinc Ouid. in libr. de Tristib.

Crede mihi miseros prudentia prima reliquit, Ouid.
Et sensus curæ, consiliumq; fugit.

Vnde magna pars hominum est, quæ nauigatura de tempestate non cogitat, sero enim animus (ait Seneca) ad periculorũ patientiam post pericula instruitur. pauci sunt, qui cum consilio se, suaq; disponant, cæteri eorum more, qui fluminibus innatant, non eunt, sed feruntur nauigantibus, ad aliquod sidus dirigendus est cursus. & si primo, melius tamen consiliare secundo, quia (ut est tex. in l. non numquam. ff. de coll. bon.) sapientis est mutare in melius consilium, nec dedecus est, immo sancta res, mu-

tationibus temporum regulari, ut cuilibet etiam subitaneæ remedium adferas, licet alia præparaueris medicamenta: numquam tamen malis consiliarijs permisci, sed hijs eiectis, ut Aeschines consuluit, sicuti refert Gell. instaurator antiquitatis. libr. 18. noct. attic. cap. 3. re enim peracta frustra consilium quæritur Isocr. in suo Panegyrico. in princ. & in suis præceptis. lente consulta, quæ uerò probata sunt uelociter perfice, & cum bonum consilium à nobis proficiscitur, optimum nobis à Deo prouenire dicitur, & quotiens de tuis rebus cum quopiam consultare uolueris, reputa primum apud te, ut in suis ille se gesserit, nam qui suas ipsius res non rite perpendit, neq; bonum de alienis consilium dabit; ne id genus hominum reperiamus, qui alijs optimè, sibi uerò male, & pessimè presto sunt.

De principijs, & quod niti debemus, in quantum possumus bene principium ordinare. Cap. XXXII.

Q*Via tunc unaqueque res finem sortitur debitum prouisionis indagine, uelut liberationis acumen operis præcedit bonum in tium,*

nec sera deliberationis inertia peracti iam negocij frustra quærit inordinatum ordinare processum, dum ex hijs quæ inordinate sunt acta, nihil possit ordinabiliter agi. extra de accus. c. qualiter, & uix est, ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio. i. q. i. c. principatus, & turpis sit pars, quæ suo non conuenit uniuerso. c. quæ contra mores. di. 8. igitur ubi est dictum esse cum consilio procedendum, sequitur ordinate rubri. de principijs, & quod niti debemus, in quantum possumus, bene principium ordinare, & sæpe sinistra principia ad felices perueniunt exitus, ut Iacob propter supplantationem, peruenit ad benedictionem, ut seges quæ lapsa manu seritur, munda tamen metitur, ut ex adultero concubitu pulchra soboles nascitur, sic, & per symoniam quæsita pecunia pulchrum habet exitum, cum pauperibus profutura conceditur. i. q. i. c. numquam diuinatio. in fi. cum cap. seq. cum totum corpus morbus inuadat, si languor nõ fuerit curatus in capite. 2. q. 7. c. sicut inquit. nam capite languescente facilius reliqua corporis membra inficiuntur. 6. q. i. c. sunt plurimi. ideo prius est, ut ipsa iniquitas deleatur, excidatur radix, & seminarium peccatorum. de pœn. di. 3. §. ille rex. nam si non est fundamẽtũ, super ædificari non potest. de præsb. non battiz. c. ueniens. unde inquit Imperator. in l. i. C. de uet.

tur. enucl. Deo authore nostrum gubernante imperium, quod nobis à cœlesti maiestate est traditum, & bella faciliter peragimus, & pacem decoramus, & statum reip. substentamus, & ita nostros animos ad Dei omnipotentis erigimus adiutorium, ut neq; armis confidamus, neq; nostris militibus, neque bellorum ducibus, uel nostro ingenio, sed omnem spem ad summæ referamus prouidentiam Trinitatis. unde & mundi totius elementa processerunt, & eorum dispositio in orbe terrarum producta est. ideo manibus erectis ad cœlum, & æterno auxilio inuocato, eã quoq; curam reposuimus animis Deo, qui, & res pœnitus desperatas donare, & consumare suæ uirtutis magnitudine potest. Vnde in ipso principio extendat manus ad cœlum, & per omnem locum consecret Deo, singans in eo nostræ salutis signum, hoc est ad orandam, & uenerandam ueram crucem, sicq; inchoet ædificium bonum, utiq; quoddam hoc, & decens fundamentum imponens. §. i. in aud. de mona. & ad primordium tituli, posterior quoq; firmetur euentus C. de impon. Lucr. descr. l. i. insi. li. x. tunc enim uniuersa bene geruntur, & competenter, si rei principium fiat decens, & amabile Deo, in auten. quem. opor. epi. in princ. in omnibusque rebus animaduertendum est id esse perfectum, quod ex omnibus suis partibus constaret, & certæ cuiusque rei potissima

pars principium est, ff. de orig. iur. l. i. nec in totum falsum uidetur, quod ueritatis primordio adiuuatur. ff. de leg. ij. l. cum filius. §. heres meus. nec recte defenditur cum exordium rei bonæ fidei ratio non tueatur. ff. de diu. & temp. prescr. l. cum heres. §. fi. & plerumque opus, quod post factum est tolletur, si id, quod antecesſit, tolli sine eo non poteſt. ff. de aq. pluu. arcen. l. sed interdum. & aliter superior iure haberi non poteſt, quam si inferior quoque iure habeatur. ff. de excep. rei. iud. l. cogi. unde consulit Hieron. amputandas eſſe carnes putridas, & remouenda est ouis scabiosa, ne tota domus maſſa, & corpus ardeat, & pecora corrumpantur, computreſcant, & intereant. est ergo cautius in principio precauendum, nam Arrius in Alexandria una scintilla fuit, sed quoniam non statim oppreſſus est, totum orbem eius flamma populata est. xxiij. q. ij. c. resecandæ & in cap. ecce. quod si fuerint aliqui tanta oſtinatione peruersi, ut nulla correctione emendationis mendicata recipiant, tamquam putridæ corporis partes, debent ferro exſtimationis abscidi, prius quam reliquæ suo corrumpantur exemplo, ne sicut caro morbo emortua si absciſſa non fuerit, salutem reliquae carnis suæ contagione corrumpit, ita isti moribus deprauati si diu in bonorum so-

cietate permanserint, nec fuerit à principio tutela debitæ prouisionis adhibita, eos exemplo suæ perditionis interimant. Vnde sunt uersus Anteclaud. & Ouid.

Ante Claud. Cedere principijs malo, quam cedere fini.

Et Ouid. de rem. amor.

Ouid. Dum licet, & modica tāgunt precordia motus,
Si piget, in primo limite siste pedem,
Opprime, dum noua sunt, subita mala semina morbi,
Et tuus incipiens ire resistat equus,
Principijs obsta, sero medicina paratur
Cum mala per longas inualuere moras:
Vidi ego, quod primum fuerat sanabile uulnus
Dilatum longæ damna tulisse moræ,
Nam mora dat uires, teneras mora decoquit uuas,
Et ualidas segetes, quæ fuit herba facit,
Quæ præbet latas arbor spaciantibus umbras,
Quo posita est primo tempore uirga fuit:
Tunc poterat manibus summa tellure reuelli,
Nunc stat in immensum uiribus acta suis,
Sed propera, nec te uenturas differ in horas,
Qui non est hodie, cras minus aptus erit.

Optimum itaque concludit Seneca est ad primum mali sensum mederi tibi, prodest, morbum suum nosce, & uires eius, antequā spacientur, opprimere, omnia uitia pænitus infingun-

tur,nisi dum surgunt oppressa, facillime tenera reconciliantur ingenia ad boni, honestique amorem,& ad huc docibilibus leuiterque corruptis inijcit manus celeritas, si aduocatum idoneum nacta est, namque præsumptum est mancipia, quæ rudia sunt, simpliciora eße, & ad ministerium aptiora, & docibiliora, & ad omne artificium habilia, trita uerò, & ueterana mancipia difficile est reformare, & ad suos mores formare. ff. de edil. edict. l. præcipiunt. &c.

De commendatione sollicitudinis,& reprehensione negligétiæ,uel corporis,uel otij. Cap. XXXIII.

SOllicitudinis uigilantia, morosæ tarditatis inertia diligentes corpore non patitur, sed sic reddit contra sua c omoda curiosos, ut in ipso principio, quæ facienda sunt, recte prouideant, sic actus cautè præuenientes cuiusdam dispositionis internæ solertia, quod nec post exequutionem debitam, notam reprehensionis incurrunt, nec de peractis eos oporteat penitere, cum iusta prudentis eloquium non pæniteat, qui consilio ducitur, & sic incredibile

penitus errare eum de facili, qui sit homo diligens, & studiosus paterfam. ff. de prob. l. cum de indebito. sic enim bonum principium efficitur ex ipsa sollicitudine, non autem ex negligentia, uel otio, nam inferiorum culpæ ordinum ad nullos magis referendæ sunt quam ad desides, negligentes uè rectores, qui multam saepe nutriunt pestilentiam, dum austeriorem dissimulant adhibere medelam. lxxxvi. dist. cap. i. & cap. iij. culpam proculdubio facientis habet, qui, quod potest corrigere, negligit emendare, & negligere, cum possis obuiare peruersis, nil aliud est, quam fauere. & ualet interdum conuersis pro salute suae animae mutatio loci, & solliciti exercitatio operis, plerumque enim dum mutatur locus, mutatur mentis affectus, congruum est ergo inde etiam corpus euelli, ubi quisque negligenter, & praue illecebris deseruiuit, nam locus ubi quis praue uixerit in aspectu mentis apponit, quod saepe quisque ibi, uel cogitauit, uel gessit. lxxxi. di. c. ualet. quia ociositas, & uoluntas arma sunt hostis antiqui ad miseras animas capiendas. de renunc. c. nisi cum pridem. Vnde sine intermissione uigilet sensus, nec uagis cogitationibus patiens corpus, pariterque animus dissoluatur: ama operis exercitium, & scientiam scripturarum, & carnis uitia non ames, Facito aliquid operis, ut semper diabolus te inueniat oc-

cupatum, si apostoli habentes potestatem de euangelio uiuere, laborabant manibus suis, ne quem grauaret, & alijs tribuebant refrigeria, pro quorum spiritualibus debebāt metere carcarnalia, cur tu in usus tuos successura nō praeparas. de consecr. di. v. c. numquam: quia iudicem desidem, ac resupina ceruice tantum titulum gerentem extorum impetrata fortuna decem libri auris mulctandum esse disponit lex fin. c. de cust. reor. & non immerito culpae eorum ascribendum est, qui negligentiores in officio suo fuerunt. ff. de offic. praesid. l. diuus. in fi. & quibus praecipua cura rerum incumbit, & qui magis, quam caeteri diligentiam, & sollicitudinem rebus quibus possunt prestant, hij magistri appellantur. ff. de uer. sig. l. quibus. unde dicit tex. in l. pupillus. in fi. ff. quae in fraud. cred. quia uigilaui, meliorem meam conditionem feci, quia ius ciuile uigilantibus scriptum est. & alleg. l. cum de indebito, si homo diligens est, & studiosus paterfam. eius personam incredibile est de facili erare, & si quis uero ad eum modum, quem hominum natura desiderat diligens est, fraude non caret. ff. de pos. l. quod uenia. & sibi admißorum damna debeat imputare, qui perniciem suam gesta taciturnitate firmauit. c. de hijs, qui aut di. l. fi. ut sit aliqua inter desides, & uigilantes differentia. c. de ann. except. l. ut perfectius, quia

contra desides homines, & sui iuris contemptores odiosæ exceptiones propositæ sunt. eod. tit. l. fi. in fin. ideo non doleant diligentes, nec diligentiam suam sibi damnosam intelligant: & neque nouum, neque leue, ob causas aliquas studium bonum, quidem & antiquum, neglecto uero, & in medio ab uniuersa ledente negligentia paulatim periclitatum corrumpi, & periuri. §. in auten. de quest. & sic nullus debet negligentiam suam ad alienam iniuriam referre. ff. de transf. l. Imperatores. sic & est tex. in. l. i. c. de suscept. li. x. punit negligentiam iudicis, & Claud.

Claud. *Non tibi desidias molles, non marcida luxu*
Ocia, nec somnos genitor permisit in artes:
Sed noua per duros instruxit membra labores,
Et cruda teneras exercuit indole uires,
Frigora sæua pati, grauibus non cedere nimbis,
Aestiuum tollerare iubar, transire sonoras
Torrentium furias, ascensu uincere montes.

Ideo malo mihi male esse (secundum Sen.) quod molitus paulatim effeminatur animus, atque in similitudinem motus sui, & pigritiæ, in qua iacet, resoluitur, ut pulchre testatur Ouid.

Ouid. *Non tua marcescant per inertes otia somnos.*

Quia præstat dicere, illud ipsius Senecæ. non uaco somno, sed succumbo, & oculos uigilia fatigatos, cadentesque in opere detineo, sic etiam

diuus Bernardus. Caue in quantum potes, ne totus aliquando dormias, ne sit somnus tuus nō requies lapsi, sed sepultura corporis suffocati, non reparatio, sed extintio spiritus tui. suspecta res est somnus, & ex magna parte ebrietati similis, nil tantum temporis deperit de uita nostra, quantum quod de somno deputatur, iturus ergo in somnum, semper defer aliquid tecum in memoriam, uel cogitationem, in quo placide obdormias, quod nonnumquam etiam sommiare iuuet, quod etiam uigilantem excipiet, qui leuiter in somnis plura uidet, grauis sopor etiam somnia extinguit, hinc idem Ouid. de rem. am.

Otia si tollas, periere cupidinis arcus, Ouid.
Quā platanus riuo gaudet, quē populus unda,
Et quasi limosa canna palustris humo:
Tam uenus otia amat, finem, qui quæris amori,
Cedat amor rebus, res age tutus eris,
Eneruat animos cantus, liræque, iocique,
Et uox, & membris brachia mota suis.
Quæritur Aegistus quare sit factus adulter,
In promptu causa est, desidiosus erat.

Et nihil tam damnosum bonis moribus eße uult Seneca, quam in aliquo spectaculo reside re, tum enim per uoluntatem facilius uitia sub reptunt, quo maior est populus, cui miscemus, eo periculi plus est, quotiens inter homines fui minus, quam homo redij, ideo perit tempus,

magna in rebus magnis iactura, quaedã tempora eripiuntur nobis, quaedam subducuntur, quaedam effluunt, maxima pars uitae elabitur male agentibus, quoniam mihi dabis per aliquod praecium, tempori ponat, qui diem extimet, qui intelligat se quotidie mori, omnia sunt aliena, tempus nostrum est in huius rei unius fugacis, & lubricae possumus, natura nos misit, ubicumque sum, ibi mens sum, rebus enim me non trado, scilicet quomodo non cõfector perdendi temporis causas, sed quocumque constiti loco, ibi cogitationes meas tracto, & aliquod salutare in animo uerso. sic Horat.

Horat. *Et mihi res, non me rebus submittere conor.*

Quid ergo cessamus cogitare nos ipsos, ut uelocitatem rapidissime rei possimus aequare, meliora preteruolant, deteriora succedunt, quemadmodum ex amphora primum, quod est sincerissimum effluit, grauissimum quodque ipsi dumque subsidet, sic in aetate nostra, quod est optimum, in principio est, id exauriri in alijs potius patimur, ut nobis fecem reseruemus, itaq; cum celeritate temporis utendi uelocitate certandum est, & uelut ex torrente limpido, nec semper ituro cito hauriendum, toto uel agamus animo, & ammissis, ad quæ diuertimus, in rem unam laboremus, ne hanc temporis pa..cissimi celeritatem, quam retinere non possumus, relicti demum ammittamus, primum itaque

quisque

quisq; dies placeat, & reddi gratus in nostrum, & quod fugit occupandum est, sic Ouidius.

Tempus in agrorum cultu consumere ducle est, Ouid.
Mors quædam uobis, tempus habetur in eis,
Aspice curuas pomorum pandere ramos,
Vt sua, quod cœpit, uix ferat arbor onus.

Sic & Tullius. Agro bene culto nil potest esse nec usu uberius, nec specie ornatius: Zenoni Philosopho nil tam regale uidebatur, quam studium agri colendi. nam cum Cyrus Rex Persarum lixanda per Lacedemonium quemdam agrum diligenter consitum ascendißet, & ille admiraretur, proceritates arborũ, directiones ordinum, suauitates odorum, & diceret se mirari non solum diligentiam, sed sollic.tudinem eius, à quo eßent illa diuisa, atq; descripta, respondit Cyrus, hæc omnia, omnia mei ordinis sunt, mea descriptio, cui ille, recte te Cyre beatum ferunt, quoniam uirtuti tuæ fortuna coniuncta est. Somnus enim nimius fugiendus est, qui namq; in lecto lucem uidet diei, honor, & utilitas numquam uenient ei. & demones semper insomnis deludunt homines, 26.q.5.c. Episcopi recordemur igitur scripturæ dicentis, de omni uerbo otioso esse reddendam rationem in die iudicij. 22.q.5.c. quotiens, & alius ocium sepulchrum uiuorum. Sed studijs litterarum donandum. &c.

De deteſtatione ebrietatis, & gulæ. Cap. XXXIIII.

VAriarum uoluntatum de facili diſſoluūtur illecebres, quos honeſti laboris ſeria non exercent, ſed ocioſitatis corruptela putreſcunt; ex qua corpus ignauum corrumpi dicitur, ut prudentis teſtatur authoritas, & inter alia uitiorum naufragia, quibus diſcretionis remus abducitur, & ea parit orcioſitatis inertia, ſic guloſitatis, & ebrietatis ingluuies, dum qui requie longeua diſoluitur; ſolum carnis oblectamenta requirat, & tanto delinquat per uitia præmiſſa frequentius; quanto poteſt ad ipſa diſcurſus haberi facilius, etiam eſt in eis propterea cautius adhibendum remedium, dum quæ frequenter accidunt, iuriſlatores & reſpiciunt, & medentur. ut in auten. vt ſin. probib. matr. §. quia uero. ideo parum fuiſſet de ſollicitudine dixiſſe, niſi contraria reiciamus, ideo ſequitur rubr. de deteſtatione ebrietatis, & gulæ. Vnde inquit Grat. non ebrietate grauentur corda, ut ſenſus eorum uigeat, ſemper, & tenuis ſit, uenter autem mero eſtuans facile diſpumat in libidinem. Vnde Noe ebrietate nudauit femora, Lot autem, quem Sodoma non uicit, uina uicerunt. 35. di. in princ. & cap. 4. luxorioſa res

est uinum, & contumeliosa ebrietas, omnis autē, qui cum hijs miscetur nō erit sapiens. Ecclesiæq; Principes, qui delicijs affluunt, & inter epulas, atq; lasciuias pudicitiam seruare se credunt, propheticus sermo describit. Mich. 3. quod eijciendi sunt de spaciosis domibus, lautisq; conuiuijs, & multo labore epulis conquæsitis. an non confusio, & ignominia est Iesum crucifixum pauperem, & esurientem fractis prædicare cordibus, & ieiuniorum doctrinam rubentes buccas, tumentiaq; ora proferre. qui enim in apostolorum locum sunt, non tantum sermonem eorum imitentur, sed & conuersationem, & abstinentiam, fuge uinum, quia ubi æbrietas, ibi libido dominatur, & furor, quicquid inebriat, statum mentis euertit, fuge uinum in quo est luxuria, uinum, ut uenenum fuge, uinum, & æbrietas incendium est, quia nimia perceptio uini luxuriam facit, & nutrit, non autem natura. gula à paradiso regnantem expulit, abstinētia ad paradisum reuocauit errantem, in principio generis humani ignorabatur æbrietas, primus Noe uineam plantauit, dedit naturam, sed ignorauit potentiam, itaq; uinum nec suo pepercit authori, sed illius æbrietas nobis suadet sobrietatem, semel enim inebriatus est Noe, ubi malum æbrietatis agnouit, inuentum suum ad remedium temperauit, non effudit ad uitium, manebat autem antequam uinum

inueniretur omnibus inconcussa libertas, nemo sciebat à consorte suæ naturæ obsequia seruitutis exigere, non esset hodie seruitus, si ebrietas non fuisset, obreserat quidem iam fraternæ prælationis inuidia, manebat tamen adhuc paternæ pietatis reuerentia, læsa pietas est, dum irridetur ebrietas, non illis, itaq; solum nocent uina, quos tentant, sed etiam illos amplius oculis, quorum temulenta ebriosorum membra nudantur. legitur etiam Genes. 19. quod patrem Loth inebriauerunt filiæ in monte, ad quem timentes incendium sodomitarum confugerunt, & habitabant in spelunca, fuit itaq; ebrietas origo incesti concubitus, pessimae generationis partus deterior. ead. di. c. sexto die, ideo ante omnia uitatur ebrietas, quæ omnium uitiorum fomes, & nutrix est. ibidem. cap. si. Ventris namque ingluuies ad luxuriam prouocat facile, & omne opus bonum dissoluit, Vnde uenter, & genitalia sibimet ipsis uicina sunt, & ex uicinitate membrorum confederatio intelligatur uitiorum. 44. di. in princ. in omnibus talibus non usus rerum, sed libido in culpa est, fieri enim potest, ut sine aliquo uitio cupidinis, uel uoracitatis praeciosissimo cibo sapiens utatur: insipiens autem fœdissima gulae flamma in uilissimum exardescit cibum, & sanius quisq; maluerit more domini pisce uesci, quam lenticula mori esau, aut ordeo more iumentorum, non enim propterea cō

tinentiores nobis sunt pleraq; bestiae, quia uilio ribus utuntur escis, nam in omnibus huius rebus non ex earum rerum natura, quibus utimur, sed ex causa utendi, & modo appetendi, uel probandum, uel improbandum est, quod facimus. 41. di. cap. 2. diuites autem pauperum cibis non coguntur uesci, utantur consuetudine infirmitatis suae, sed doleant aliter se non posse sustentare; si consuetudinem mutant, aegrotant: utantur superfluis, dent inopibus necessaria, utantur praeciosis, dent pauperibus uilia, nam pinguis uenter ab oneratione ciborum generat grossum sensum. 44. di. c. fi. omnes itaq; à crapula, & ebrietate diligenter abstineant dispo nit in c. à crapula. de uit. & hon. cler. Vnde uinum sibi temperent, & se uino, nec ad bibendum quisquam incitetur, cum ebrietas, & mentis inducat exilium, & libidinis prouocet incentiuum, ex quo prohibetur illorum abusus, quo in quibusdam ad potus aequales suo modo obligant potatores, & ille iudicio talium plus laudatur, qui plures inebriat, & calices fecundiores exhaurit, Vnde Lucanus. Lucan.

O prodiga rerum luxuries numquam paruo contenta paratu
Et quaesitorum terra, pelagoq; ciborum
Ambitiosa fames, & latae gloria mensae,
Discite quam paruo liceat producere uitam,
Et quantum natura petat, nam gurgite puro

Vita redit, fat est populis, fluuiusq; leresq;

Nam si de naturali contentu ciborum homines sibi satisfaciunt, facile est secund. Sen. pascere paucos uentres, & bene institutos, nec aliud desiderantes, quam impleri paruo fames constant magno fastidium, o miserabiles, quorum palatum ad praeciosos cibos non excitatur, praetiosos autem non eximius sapor, aut aliqua faucis dulcedo, sed raritas, & difficultas parandi facit, quid opus est tot artibus uentri seruientibus? quid uastatione siluarũ? quid profundi perscrutatione, paßim iacent alimenta, quae rex natura omnibus locis disposuit, sed hoc uelut ceci transeunt, & cum famem exiguo poßint sese dare, magno irritant, quid non cogitatis, quia parua corda nobis sunt, nempè furor est, cum tam exigui capere multum, turpe est plus ingerere tibi, quam capias, & stomaci tui non nosce mensuram: maiores nostri quorum uirtus etiam non nostra uitia substentant, manu sua sibi parabant cibum, ut etiam describit Boet. inquiens.

Foelix nimium prior aetas contenta fidelibus auis,
Boet. *Nec inerti perdita luxu, facili, quae sera solebat*
Ieiunia soluere glande, nec bachica munera norat,
Liquido confundere melle,
Quid tam curate mittitur inutilis à te
Stentis, & falleis saccus iam montua pellis.

Fateor inquit Sen. nobis insitam esse charitatem nostri corporis, & tutelam, non ego indulgendum illi, sed seruiendum nego, maior sum, & ad maiora genitus, quam ut fiam mancipium corporis mei, multis seruiet, qui corpori seruit, qui pro illo nimium timet, cum ad id omnia refert, sic gerere nos debemus, non tamquam propter corpus uiuere debeamus, sed tamquam nõ possimus sine corpore huius, nos sollicitudinibus onerat, contumelijs obicit, uanas suggerit uoluntates, breues pœnitentias, & nisi magna moderatione temperentur in contrarium habituras, honestum ei uile est, cui corpus charum est, agatur eius diligentissimum, cura ita tamen, ut cũ exigit ratio, cum dignitas, cum fides, mittendũ in igne sit. Sicut dicit Iuuenal.

Multos porrò uides, quos sæpe illusus ad ipsum Iuuen.
Creditor introitum solet expectare macelli,
Et quibus in solo est uiuendi cura palato,
Interea gustus, olera per omnia quærunt,
Numquam animo prõptus obstantibus internis
Accẽdas, magis illa iuuant, quæ pluris emũtur.

Et paucissimorum iugerum pascua taurus impletur, una silua elephantis pluribus sufficit. homo, & terra pascitur, ancipiter auis rapacissima contentus aere, lupus terra, lucius aqua, sed homo (dicit Seneca) alijs animalibus rapacior, terram, aquam, aerem, & si posset cœlũ suis nutrimẽtis spoliaret, uoluntas gutturis, quæ tãti

hodie extimatur, non nisi duorum obtinet latitudinem digitorum, & huius tam modicae partis, tam exigua delectatio, quanta paratur sollicitudine, quantam deinde molestiam parit, hic monstruosius dilatantur renes, & humeri, hinc tumentes uteri non tam impinguantur, quam impinguātum aruina, & dum carnis onus ossa non substinent, morbi uani generantur, ille cuius summum bonum saporibus, ac coloribus, ac sonis cōstat, excedat ex hominum numero, mutis aggregetur animalibus, pabulo tantum, & uentri obedientes animalium loco numeremus, non hominum, quosdam uero non animalium quidem, nec hominum, sed mortuorum uiuit is, qui se utitur. nam docet Iuuen.

Talis ergo cibus, qualis domus, atque suppellex.

Iuuen. Ideo si res tua tibi non sufficit tu parcendo rei sufficias tuæ, quia parcitas necessitatis remedium est medicina damnorum, Ieiunus raro stomacus uulgaria tendit, ut idem est author Iuuen. & egregie negat Philosophus ad situm pertinere, quo poculo, aut qua elegāti manu ministretur aqua, nā si ptinere iudicas, quā crinitus puer, et quā plucide tibi porrigat poculū, naturæ tuæ accusator es, uēter præcepta nō audit, poscit appellat, nō est tā molestus creditor paruo dimittitur, si das ei, quod debes, nō quod potes, nō.n. delectari uult, sed īpleri fames, me appellat ad proxima, quæque porrigatur manus, ipsa mihi

fames commendabit quodcumque apprehendero, nil contendit exuriens. ut demonstrat Boetius, dum dicit: paucis, minimisque natura contenta est, cuius satietatem, si superfluis urgere uelis, aut iniocundum, quod infuderis fiet, aut noxium; nam ipse uoluptates subiungit Seneca in tormenta uertuntur, epistolæ cruditatem afferunt, ebrietates neruorum torporem, & tremorem, libidines manuum, pedumque, ac articulorum omnium deprauationes, & pulchre addit Boet. uoluntatum appetentia plena est anxietatis. satietas uerò pœnitentiæ, quantos morbos. quàm intollerabiles dolores quemnam fructum nequitiæ referant intelliget, quisquis uolet suarum libidinum reminisci, nam potest etiam nostra prouidentia longiorem huic corpori prolongare moram, si uoluntates poterimus regere, & cohercere parsimoniam eorum, quæ auiditatem euocant: modus, & diligens sui tutela produxit Platonem ad senectutem, id actum est ab illo mundi conditore, qui nobis uiuēdi iura descripsit, quod salui essemus, non, ut delicati ad saluantem omnia parata, & in promptu delicijs omnia miscere, & sollicitè comparantur. & est illud sapientis pauca uoluptati debentur, plura saluti.

Nam modica uoluptas laxat, & temperat animos, segetem sternit nimia ubertas, rami onere franguntur, ad maturitatem non uenit

nimia ubertas, idem animis euenit, quos immo dorata felicitas corrumpit, maximè diebus festis animo imperandum est, ut rem uoluptatibus solus abstineas, cum in illas omnis turba procūbit, certissimum argumentum firmitatis suæ capit, qui ad blanda, & luxuriam trahentia, nec it, nec abducitur, hæc multo fortius est ebrio, ac uomicante sic eum, & sobrium esse: cito redi, quicquid facies à corpore ad animum tecū noctibus, ac diebus exerce, quantum potes, circumscribe corpus tuum, & animo locū laxa, multa sequuntur incomoda: huic deditum cure, non est summa felicitatis nostræ in carne ponenda, bona illa uere sunt, quæ ratio dat, quæ cadere, nec decrescere possunt: festos dies (inquit Imperator in l. dies. c. de ferijs) maiestati altissimæ dedicatos nullis uolumus uoluptatibus occupari, nec ullis exactionum uexationibus prophanari, dominicum itaque diē semper uenerandum decernimus, ut à cunctis exequutionibus excusetur, nulla quemque urgeat admonitio, nulla fideiussoris flagitetur exactio, taceat apparitio, aduocatio delitescat, sit idem dies à cogitationibus alienus, præconis horrida uox silescat, respirent à controuersiis litigantes, & habeant interuallum fœderis, ad sese ueniant aduersarij non timentes, subeat animos uicaria penitudo, pacta conferant, transactiones loquantur, nec tamen huius reli-

giose diei otia relaxantes obscenis quemque patimur uoluptatibus detineri. sed infelix nostra ætas, non nisi in festis, & maioribus sollēnitatibus turpia exercentur, quando enim homines bacantur plus, nisi ubi magis gratiæ Deo haberi debent, tunc enim Deus non timetur, & omne pessimum committitur, ut nec locis sacris parcatur, Vnde inquit Oratius.

Quid non æbrietas designat, operta recludit,
Spes iubet esse ratas, ad prælia trudit inertem,
Sollicitis animis onus eximit, eddocet artes
Fecundi calices, quem non fecere desertum,
Contracta quem non in paupertate solutum.

Aebrietas itaque secundum D. Aug. describitur, quod sit flagitiorum riuus, culparum mater, radix criminum, origo uitiorum, turbatio capitis, subuersio sensus, tempestas linguæ, procella corporis naufragorum, castitatis ignominiosus labor, perturbatio morum, defectus uitæ, honestatis infamia, & animæ corruptela. uel æbrietas est cedis mater, parens litium, petulantiæ deformitas est magistra, hāc qui habet non est, hanc qui habet, peccatum non habet: sed est ipse peccatum, æbrietas demō blandus, uenenum dulce, uoluntaria rabies, illecebra honestatis, & pudoris infamia. Seneca uero latius eam describit, ait namque, æbrietas nil aliud est, quā uoluntaria insania, diruit

omne uitium, ac intendit, & detegit obstantem malis conatibus, uerecundiam remouet, plures enim pudore peccandi, quam bona uoluntate prohibiti abstinent, ubi possedit animum nimia uis uini, quicquid mali latebat, emergit, non facit ebrietas uitia, sed protrahit, tunc libidinosus, nec cubiculum quidem expectat, tunc impudicus morbum suum profitetur, & publicat, tunc pecularis non manum continet, crescit insolenti superbia, crudelitas sæuo, malignitas liuido omne uitium taxat, & prodit, adite illum ignorantem sui, & ex planata parum libera in centos oculos gradum errantem, uertiginem capitis tecta ipsa, mobilia stomaci tormenta, cum efferuescit merum, ac uiscera ipsa distendit, hæc acerrimas gentes, & bellicosas hostibus tradit, hæc multorum magistrorum pertinaci bello defensa menia patefecit, hæc contumacissimos, & iugum recusantes in alienum subegit argumentum, non est animus in sua potestate ebrietate deuictus, quemadmodum musto dolia ipsa rumpuntur, & omne, quod in imo iacet, in sumam partem uis caloris euertit, sic uino estuante quicquid in imo iacet, abditum effertur, & prodit in medium, onerati mero, quemadmodum non continent cibum, ita nec secretum, quod suum, alienumque est pariter effundunt, Vnde Ouidius.

Ouid. *Vina parãt animos ueneri, ni plurima summas*

Vt stupeant multo corda sepulta mero,
Aut nulla ebrietas, aut tanta sit, ut tibi curas
Eripiat, si qua est inter utrumque, nocet,
Nutritur uentis, uentis extinguitur ignis,
Leuis alit flammas, grandior aura necat.

Ebrietas namque studiosa peccatum mortale est. xxv. di. c. unum. xxxv. di. c. ante omnia, hinc sanctissimè apostoli sanxerunt ebrietati deditos esse damnandos. ead. dist. cap. ij. unde cum ebriosis cibum sumere prohibemur. xi. q. iij. c. ad mensam. & ponit sanctus doctor. ij. ij. q. 150. ebrius enim dicitur ab è, quod est sine, & bria, quod est mensura, quasi sine mēsura, Adam nempè dum abstinuit à cibo uetito perseuerauit in bono, postquam non abstinuit, priuatus est omni bono. Gen. iij. & gulosus in paupertatem ducetur. Prouer. xxi. interque septem, capitalia gula annumeratur, de quo Eccl. xxvij. unde remedium est contra prædicta frequens sumptio ciborum spiritualium .i. uerbum Dei. item considerare quid futurum erit carni nostræ, quæ erit cibus uermium, item cogitatio, quia cibus moderate sumptus parit salutem abundantia morbum facit &c. Plato. n. ebrietatem turpissimam uoluit appellari. in i. & ij. de leg. licet quidam nebulo, ut utar uerbis Gellij libr. xv. noct. Attic. cap. xx. aliter intelligebat, referam tamen notabile exemplum, quo ad repellendam ebrietatem uteban-

tur spartiatæ, ut in Demetrij uita. in princ. refert. Plut. nã in conuiuijs cogebant quosdã grauiter ad potum, & ad crapulam, quos maxime mero ingurgitatos ad conuiuia iuuenum ducebant, ut illi cernẽtes æbriorum turpitudinem, æbrietatem ureluti rem deformem perhorrescerent, & certe mirum est, quam animus turbetur ex aspectu æbriorum, ex gestis, ex uarijsque loquelis, ut ferè unus exercitum superet &c.

De detestatione luxuriæ. Cap. XXXV.

Postquã dictũ est de detestatione æbrietatis, & gulæ, quarum super inducta caligine rationis acies obcecatur, honestas bonorum proscribitur, totius honoris decus expirat & uilitatis turpitudo subintrat, quia uentris ingluuies luxuriam prouocat, & sicuti genitalibus membris, quibus coitus exercetur, est naturæ dispositione contiguas, sic ei est uitiorum confederatione coniunctas, ut patet di. 44. in princ. ideo sequitur rubr. de detestatione luxuriæ. quod autem causa remoueatur, patet, quia meretrices esse, & ad meretrices accedere prohibet dominus, quarum publicè uenalis est turpitudo. 32. q. 4. c. meretrices. & c. seq. in eo

fornicator maioris est criminis, quia tollit mem bra Christi, & facit membra meretricis, hoc unum scio, inquit ibi Hier. quiod qui post fidem Christi fornicatur, uiolat templum Dei, & opus carnis immunditia nuncupatur, & eam comes luxuria sequitur, quomodo in ueteri lege denefandis criminibus, quæ in occulto sunt, quæ nominare etiam turpissimum est, ne dicentis os, & aures audientium polluantur generaliter scriptura complexa est dicens, uerecundos, & uerentes facite filios uestros ab omni immunditia, sic in hoc loco cæteras extraordinarias uoluptates ipsarum quoque opera nuptiarum si non uerecundæ, & cum honestate quod sub oculis Dei fiat, ut tantum liberis seruiatur immunditiã, & luxuriã nominauit, quam etiam leges ciuiles detestatæ sunt, unde ait Imperator in progreßu tit. in auten. ut non luxur. contr. nat. quidam diabolica instigatione etiam grauissimis luxurijs semetipsos inseruerunt, & ipsi naturae contraria agunt, quibus iniungimus in sensibus accipere Dei timorem, & futurum iudicium & abstinere ab huius illicitis, & diabolicis luxurijs, ut non propter impios actus ambita Dei iusta inueniantur, & ciuitates cum hominibus eorum pereant, propter talia enim delicta & fames, & terremotus, & pestilentiæ fiunt, & propterea monemus abstinere

ab his prædictis illicitis, ut non suas perdant animas, immo grauius, cum uir nubit in feminam uires porrecturam, quid cupiat, ubi sexus amittat locum, locus ubi scelus est id, quod non proficit scire, ubi uenus mutatur in aliam formam, ubi amor quæritur, nec inuenitur, iubemus insurgere leges, armari iura gladio ultore, ut exquisitis pœnis subdantur infames, qui sunt, uel futuri sunt rei. c. de adult. l. cum uir. & describendo particulariter, adulterij malum uincit fornicationem, uincitur autem ab incestu, peius est enim cum matre, quam cum aliena in uxore concubere, sed omnium horum pessimum est, quod contra naturam fit, ut si uir membro mulieris non ad hoc concesso uoluerit uti, usus enim naturalis si ultra modum prolabitur in uxorem quidem uenialis est, in meretrice damnabilis, sed iste, qui est contra naturam, execrabiliter fit in meretrice, sed execrabilius fit uxore, tantum ualet ordinatio creatoris, & ordo creaturæ, ut in rebus ad utendum concessis, etiam cum modus exceditur, longe sit tollerabilius, quam in eis, quæ concessa non sunt, uel unus, uel rarus excessus. 32. q 7. c. adulterij. & c. seq. offerebat sanctus Loth filiarum pudorem, nam, & si illa quoque flagitiosa impunitas, tamen minus erat secundum naturam coire, quam contra naturam delinquere, præferebat domus suæ uerecundiæ hospitalem gratiam

tiam etiam apud barbaras gentes inuiolabilem. nam uiolatur ipsa societas, quæ cum ipso Deo nobis esse debet, cum eadem natura, cuius ipse est author, libidinis peruersitate polluitur; quia difficile est continentiam seruare, qui illicito concubitu maculari non timuit, sic enim oculis excecãtur, ut etiam Salomon immoderato usu, atq; aßiduitate mulierum ad hoc usq; perductus est, ut templum idolis fabricaret, & qui primo Deo templum construxerat: aßiduitate libidinis, & perfidiæ subtractus idolis templa construere non timuit. 32. q. 4. c. Salomon. Vnde fœdißimam earum nequitiam, quæ pudorem suum alienis libidinibus prosternunt in reprehensa uoluntate leges ulciscuntur. C. de adult. l. fœdissimam. ideo nec ea, quæ libera constituta est, uel semel decepta, uel infelici cupidine capta, quocumq; modo contra natalium suorum ingenuitatem in seruitutem deducatur. l. i. C. de sen. conf. Claud. toll. Vnde uiolatio uirginum, uel etiam uiduarum, maximè quæ Deo fuerint dedicatæ non solum ad iniuriam hominum, sed ad ipsius omnipotentis irreuerentiã committitur, cum uirginitas, & castitas corrupta restitui non potest, oportet enim, ut quicumq; ducere uxorem uoluerit, siue ingenuam, siue libertinam secundum leges, & antiquam consuetudinem parentes, uel alios, quos decet, petat, & cum eorum uoluntate legitimum fiat

coniugium, quia hoc ipsum uelle ab insidijs nequißimi hominis, qui meditatur, rapinam inducit, nisi etenim eam sollicitauerit, nisi odiosis artibus circumuenerit, non facile eam uelle in tantum dedecus se prodere. C. de rapt. virg. l. pr. lex enim non luxuriantibus, sed caste uiuentibus præbetur. in auten. de trient. & sem. §. si autem, non enim amplius habebit castitate luxuria, sed subiciatur quidem, & ipsa pœnis, periculumq; substineat. in auten. de restit. & ea quæ par. §. fin. cum castitas à legibus ametur, & ideo lex indicta est subiectis, cum nihil furore amoris uehementius sit, quem retinere philosophiæ perfectè est manentis, & insilientem, atq; inherentem concupiscentiam refrenantis, ut hij etiam, qui hoc tali detinetur languore, abstineant sermone ab eis, quas amant, quem eis per blandimenta conferunt. in auten. quib. mod. nat. effic. leg. §. illud, & in seruitute supponitur, qui captus amore uirginis esse fas & nephas permiscet, indignaturq;, quod obseruantia iuris in persona sui iam deficit, quia honor ei seruandus non est, qui se in tantum scelus deduxit. ff. de senat. l. senatoris filia. honestus nempè modus seruandus est, non immoderata cuiusq; luxuria subsequenda. ff. de dam. infect. l. ex damni. ideo meminisse Iudices oportet, ut non ex luxuria, sed ex affectu dentis causæ approbentur, nec enim delicijs, sed iustis affe-

stionibus se dedisse legem credendum est l. illud. ff. de man. uind. idq; adeo hortetur, ut etiam si ad optatum non est peruentum, adhuc, & sine pœna non procedatur, nam sollicitatores alienarum nuptiarum, & matrimoniorum interpellatores, & si effectu scæleris potiri non possunt, propter uoluptatem pernitiosæ libidinis extra ordinem puniuntur. ff. de extra cri. l. i. Vnde inquit Arist. quod luxuriosus sic cogitat, tamquam non ultra uicturus, auarus tamquam nondum iuuenis, unde versus Alex. Alex.

Mersa iacens ardente luto torquetur, & ardet
Pubetenus totis exusta libido medullis.

Et Prudentius. Prud.

Inspirat tenerum labefacta per ossa uenenum,
Tu princeps ad mortis iter, tu ianua leti,
Corpora commaculans animas ad tartara mittis.

Similiter Boet.

Habet hæc uoluptas omnis stimuli agit fruentes Boet.
Apiumq; par uolantium ubi grata mella fudit,
Fugit, & minis tenaci ferit icta corda morsu.

Libidinis ergo (secundũ Bernar.) illecebrosa uorago, quantis laboribus, & dispendijs interdum, & fame, uel honores, aut etiam uitæ ipsius pericula cõparatur, cuius appetitus anxietatis, et uecordiæ actus, abhominationis, & ignominiæ exitus pœnitudinis, & erecũdiæ plenus esse dignoscitur, quia uolũtas (vt vult Sen.) tũa

cum maxime delectat, extinquitur, non multum loci habet, cito implet, & tedio est, & post primum impetum marcet, eo peruenit, ut desinat, & dum incipit, spectat ad finem, uoluntas facilis est, breuis fastidio obiecta, quo auidius aduocata est, & nihil est quod magis naturam hominum Deo proximam dedeceat, quam res humilis membrorum turpium ministerio ueniẽs exitu fœda, ut not. scribit Alex.

Alex. Meritis morbus amor, rationis uile sepulchrum,
Ebrietas rigidos eneruant hæc duo mores,
Si baccho, ueneriq; uacas, qui cætera subdis,
Sub iuga uenisti,
Diues enim dudum, sed me faciunt tria nudum,
Alea, uina, uenus, tribus hijs sum factus egenus.
Sunt commites ludi, mendatia, iurgia, nudi,
Viuit inops, moriturq; miser ieiunus honorum,
Qui decies sequitur, fœmineumq; chorum.

Indurandus itaq; est animus, & à blandimentis uoluptatum procul abstratiendus, effeminat animos amenitas nimia, ipse uoluptates in tormenta uertuntur, quæ præcipuè extabant, & habent latronum mores, qui in hoc nos amplectuntur, ut strangulent, luxuria capitale uitium species sub se habet, cum sit nomen generale in ea enim est fornicatio, quæ pro omni illicito coitu capitur. 32: q. 2. §. qui ergo. adulterium, incestus, stuprum, raptus, pollutio, & peccatum conra naturam. malum est templum

Dei, quod est corpus hominis, luxuria coinquinare ad Cor. pr. 3. 32. q. 7. c. non solum, quid grauius est, quam carnale delictum committere. 50. di. c. quia sanctitas. nolite (inquit apost. ad ephes. 5.) uino inebriari in quo est luxuria. Præstat enim à mulieribus elongare, quia mundus, & mulieres non melius uincuntur, quã fugiendo, ut de sancto Ioseph. legitur Gen. 39. luxuriari namq; abstinebit quis, si mala, quæ inde proueniunt, consideret, quia momentaneum est, quod delectat, æternum, quod cruciat, imo luxuria præsens non satiat, præterita non delectat, futura cruciat : ieiunio, & oratione itaq; uincentur hoc uitium, ut dicitur Marc. 9. de Demonio. &c.

De mala societate uitanda. Cap. XXXVI.

CVm luxuria mentis, & corporis (ut dictum est) operetur dispendium, cuius oblectamentis ineptis, uelut hamo pisces, uoluptuosorum capiuntur effectus, & ad interitum cuiusdam dulcis amaritudinis sapore trahuntur, & quasi sirenei cantus fallacia deducuntur in sirtes, quia propter criminis uilitatem, qui luxuriosorum societate fru-

antur, notam diffamationis incurrunt, & innocentiæ candor talium participatione nigrescit, dum qui corruptis adiungitur incorruptus permanere non poßit. 23. q. 4. c. quisquis. sequitur, ut & de mala societate uitanda dicamus, quisquis inquit ibi Aug. uel quod potest arguendo corrigit, uel quod corrigere non potest æquitate improbat, firmitate supportat, hic est pacificus, & ab isto maledicto immunis, de quo scriptura dicit, ue hijs, qui dicunt, quod neq; est bonum, & quod bonum est, neque omnino liber est prorsus securus, pœnitus alienus, quia non poterit manere incorruptus cum corrupto sociatus, cum ita plane sociatur quis malis, idest si male aliquid cum eis committit, aut committentibus fauet, si autem neutrum facit, nullo modo sociatur, ubi autem cætera impediuntur, illa duo semper retenta incorruptum, castumq; custodiunt, ut nec faciat malum, nec approbet factum. quia communio malorum (ut ead. q. c. si quis catholicæ dicitur) non maculat aliquem participatione sacramentorum, sed consensio factorum, nam si in malis factis nec eis quisquam consentiat, portat malis causam suam, nec præiudicat alteri, quoniam in consensione mali operis socium non habet criminis. & si accessurus est tecum malus ad altare noli timere, unusquisque onus suum portat. ead. q. c. quam magnum. abstinendum tamen est, cum sæpè malorum consortia etiam

bonos corrumpant, quanto magis eos, qui ad uitia proni sunt. 28. q. i. c. sæpe. & si qua maritum suum inueniat cum impudicis mulieribus, quod maxime castas exasperat cecum ineuntē repudij auxilio uti, necessariam ei promittit libertatem: tex. in l. consensum C. de repud. & dicit tex. in l. si quis seruo. C. de furt. quod consortium corruptoris ad pernitiem probitatis deducitur. immo delictorum turpis, ac fœda est comunio ff. pro soc. l. sotius sotio, ideo qui parum diligentem socium acquirit de se queri debet. ut ead. l. cum semper sint euitandi, qui pudicitiæ alicuius possūt insidiari. ff. ubi pup. edu. deb. l. si disceptetur. & facit singulare dictum Vlpi. in l. i. §. plane. ff. de tut. & rat. di. quod nec ulla societas maleficiorum, uel comunicatio iusta damni ex maleficio est. cum flagitiosæ rei societas coita nullam uim habeat. ff. de fideiuss. l. si à reo. in fi. talis enim societas leonina appellatur, & merito nulla est, ut alter lucrum sentiat, alter uerò nullum lucrum, sed damnum, nam tunc iniquissimum tale genus societatis est. ff. pro soc. l. si non fuerint. uera enim societas quodammodo ius fraternitatis in se habet. eo. ti. l. uerum. & faciunt uersus.

Infames uitare stude, ne fama laboret, Anti-
Ne uicina bonos lædant contagia mores. claud.

Irritamenta itaq; uitiorum secūdum Sen. longissimè fugiamus, magna pars sanitatis est cir-

catores insaniæ reliquisse, cum hijs conuersare, qui te meliorem facturi sunt, illosq; admitte, quos etiam meliores facere poteris: si uelis uitijs exui, longe à uitiorum exemplis recedendum est, serpunt enim uitia, & in proximum quemquam transiliunt, & contactu nocent, & initium morbi, & ægros, & sanos miscere. cum iux. illud Ouid. in rem. am.

Non facile exuriens posita retineberis mensa,
Et multum saliens incitat unda sitim.
Sic etiam Oratius.
Proximus à tectis ignis defenditur ægrè,
Feruida uicino flamma uapore nocet,
Nam tua res agitur, paries dum proximus ardet,
Et neglecta solent incendia sumere uires.

Idq; adeo est uerum, ut quasi in uos sotij, siue nos in ipsos mutemur (inquit enim Sen.) quod sumuntur à conuersantibus mores, ut quædam in contractos corporis uitia transiliunt, ibi animus mala sua proximis tradit, coniuncto delicatus paulatim eneruat, ebriosus in amorem uim trahit, impudicus fortem quoque uirum emollit, uicinus diues cupiditatem irritat: malignus comes quamuis candidum, & simplicem rubigine sua afficit, nec te dixerim sanum dolentem latera, inimica est multorum conuersatio, nemo non aliquid nobis uitium, aut commendat, aut imprimit,

aut nescientibus allicit, quo maior est populus, cui miscemur, eo pericli plus est, subducendus populus: tener animus, & parum tenax rem facile transit, ad plures necesse est, aut imiteris, aut caedas, utrumque uitandum est, nè uè simul facias, quia multa sunt, recede in te ipsum, quantum potes, quidam adeo in latebras refugerunt, ut putent in tenebris esse, quicquid in luce est, non tam ualetudini profuit, utilis regio, & salubre caelum, quam animis parum firmis in turba meliori uersari, quae res quantum possit, intelliges, si uideris feras conuictu nostro mansuescere, nullique inmani bestiae cum suam permanere, si diu hominis contubernium passa fuerit, retunditur omnis asperitas, paulatimque inter placida dediscitur conspectus, & conuersatio, & presentia habet aliquod uiuae uoluntatis, si non quem uelis, sed qualem uelis uideas. ut testatur Iuuen.

Sic natura iubet, uelocius, & citius nos
Corrumpunt uitiorum exempla domestica. Iuuen.

Dociles imitatores in turpibus, & prauis omnes sumus.

Et Oratius.

Discit enim citius, meminitque libentius illud, Orat.
Quod quis deridet, quam quod probat, & ueneratur,
Silicet expectas, ut tradat mater honestas,

Atque alios mores, quam quos habet.

Proximis namque (ut idem est author Sen.) applicatur omne, quod tenerum est, & in eorũ sollicitudine crescit, surdum te amantissimis tuis præsta, bono animo mala precatur, si uis esse felix ora, ne quid tibi ex hijs, quæ optantur, eueniat, inimica sunt nobis uota nostrorum, & eo inimiciora, quò transire facilius, non miror, si omnia nos a prima pueritia mala sequuntur, inter execrationes creuimus, admirationem nobis parentes auri, argentique, & teneris nobis infusa cupiditas alterius creuit nobiscum, licet ire recta uia, trahunt in uitia nostra, non errant uni sibimet malitiam spargit in proximo. plures igitur lauda, paucos elige. nec frequenter cum omnibus conuerseris, aut diu de ijsdem loquaris, hoc fuit xxviij documentum ab Isocr. præstitum Demonico adolescenti. sed infelix societas, ubi uirtus non est media, sed uitia, scelera perdurant; ut etiam si bonus quis sit, tamen cum malo conuersans, malus efficiatur, uel saltem alijs scandalum præbeat, ut de ipsa male loquantur, nisi ut ueram uiam reduceret, hoc bonus opus faceret, sed graue est credere, cum uirtus exulet, honestas silescat, nec præceptum illud naturæ, quod tuum non est. in ore hominum inueniatur, inuidẽdum est primæ ætati, atque mirandum, quin non omnes beati fuerint,

cum exempla eos ad bonum alliciendi non defuerint, uitanda est mala societas, ex qua non solum corpus, sed anima plerumque periclitatur, ea.n. est antiqui hostis malitia, ut si unũ instrumentum habeat, paulatim zizaniam seminet, & per blandimenta maxime uenerea omnes alliciat. &c. habenda enim est societas cum Deo 1. Io. 1 inquit propheta psal. xv. cum sancto sanctus eris, & cum uiro innocente innocens eris. &c.

De Pace, siue concordia seruanda. Cap. XXXVII.

DE Pace uidere sequitur, postquã dictum est de mala societate uitanda, quia ueræ uirtutis alumni, nec delinquentium scæleribus inquinantur, nec ipsorum peruersione corrupti à semita ueritatis aberrant, sed in bonitatis suæ robore permanentes amatores iustitiæ uenerantur, eis indiuisibilis amoris participatione coniuncti, malorum uerò consortia sic prudenter euitant, ut ab ipsorum longe seperentur excessibus, & ab ominibus pacem, licet non cum omnibus habeant, ut quod possint, corrigant arguendo, quod corrigere non poßunt, saluo uinculo pacis excludant, & quod non possint sic excludere, reprobent æquitate

& firmitate supportent, & sic innocentiæ suæ puritatem conseruant, & aliorum nepharios euadunt hostilitatis incursus. 23. q. 4. c. quisquis. unde ait Aug. quod apud Dei ueros cultores etiam bella ipsa pacata sunt, quæ non cupiditate, aut crudelitate, sed pacis studio geruntur, ut mali coherceantur, & boni subleuentur. 23. q. i. c. apud. & extat præceptum Alex. Pont. quod episcopi ad solum Deum, & ad salutem populi habentes respectum omni trepidatione supposita ad pacem firmiter tenendam mutuum sibi consilium, & auxilium præbeant, neque hoc alicuius amore, uel odio praetermittant, quod si quis in hoc opere trepidus inuentus fuerit, damnum propriae dignitatis incurrat. c. i. de treug. & pac. quia nullatenus ad arma, & rixas praetor procedere patiatur, quos potest sua iurisdictione compescere. ff. de usufr. l. æquißimum. praetor enim discordijs propinquorum sedandis prospexit, quas solet comunionis materia excitare. ff. de leg. ij. l. cũ pater. §. dulcißimis. eum nihil aliud agat praetor, quam hoc, ut controuersias dirimat, & ratum habeat, si eis spõte renuntient litigantes. ff. de oper. nou. nunc. l. i. §. potest. imo qui pro pace excubãt magis, ac magis audiẽdi sunt. ff. ad l. Iul. mai. l. famosi. inquit enim tex. c. nouit. §. licentiam. de iud. quod procedere possumus sup quolibet criminali peccato ut peccato-

rē reuocemus de uitio ad uirtutē, praecipuè tamen, cum quae pacem peccatur, quae est uinculum charitatis, unde canit Prudentius Poeta.

Pax plenum uirtutis opus, pax summa bonorū,
Pax belli exacti precium est, precium periculis,
Sidera pace uigent, consistunt terrea pace.
Nil placidū sine pace animi, nō munus ad arā,
Cum cupias offerre, probat, si turbida fratrem
Mens, impacati sunt pectoris, oderit antro
Quilitare mactatis uult holocaustis,
Offerat in primis pacem, nulla hostia Christo
Dulcior, hoc solo Deus oblectatur odore.

Similiter Anticlaud.

Caetera si pacis famam seruare tenentur, Anticlaud.
Vas magnum, ad quorum initū disponitur orbis
Quos penes arbitrum ius est, & regula morum,
Si uestram pacem discordia dissiuit, immo
Rupit, uestra perit uirtus, nam stare negatur,
Occasum patiens in se diuisa potestas,
Ergo concordes uotum curatis in unum.

Faciunt etiam & lepidi Iuuen. uersus.

Sed iam serpentum maior concordia parcit Iuuen.
Cognatis maculis, similis fera quando leoni
Fortior eripuit uitam leo, quo nemore unquam
Expirauit aper maioris dentibus apri,
Indiga tigris agit rapida cum tigride pacem
Perpetuam, saeuis intus se conuenit uersis.
At homini ferrum letale incude nephanda,

Produxisse parum est.

Non enim pudet homines (inquit Sen.) mitissimum genus gaudere alterno sanguine, & bella gerere, gerendaque liberis tradere, cum intus se pax sit mutis feris, nulla res magis ad pacem proderit, quam cogitatio mortalitatis, sibi quisque, atque alteri dicat, quid iuuat, dicit, quod in uoluntatem honestam impendere licet, in dolorem, tormentumque transferre; non capiunt res istæ iacturam, nec tempus uacat perdere, quid tu minus impugnas, quid imbecillitatis obliti ingentia odia suscipimus; & ad frangendum fragiles consurgimus, iam istas inimicitias, quas inplacabili gerimus animo, febris una uetabit geri, stat supra caput fatum, & pereuntes dies imputat istud tempus, quod alienæ destinas morti, fortasse contra tuam est: substine paulolum, ueniet ecce mors, quæ uos parcos faciat, numquid amplius isti, cui irasceris, quam mortem optas, etiam te quiescente morietur, perdis operam facere ius, quod futurum est, quin potius inter homines sumus, colamus humanitatem, contemnamus iniurias, & magis animo breuia feramus incomoda: attendentes illud Ouidij.

Sumite in exemplum pecudes ratione carentes.
Ouid. *Turpe erit ingenium mitius esse feris.*

Christus enim in mundum ueniens docuit pa

cem, dedit pacem, & pacem reliquit, c. nisi bella. xxiij. q. i. imo, & sub pacis tempore regnante Octauiano Augusto de Virgine natus, pax enim non quæritur, ut bellum geratur, sed bellum geritur, ut pax quæratur. ead. q. c. noli existimare, unde grauibus pœnis subijciuntur pacem ecclesiæ perturbantes. 24. q. i. c. qui contra. beati igitur sunt pacifici, quoniam filij Dei uocabuntur. Matt. v. & in ortu Christi proclamauerũt Angeli. Gloria in eccelsis Deo, & in terra pax hominibus. &c. qui pacẽ non habet infelix est. ij. ad Cor. ult. fugienda tamen est pax iniquitatis, quae inter pessimos est ad uindictã, iram, & scælera. inter homines, & dæmones, de qua dixit Christus. Luc. xij. non ueni mittere pacẽ in terrã, sed seperationem. pax. n. est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, amoris uinculum, cõsortium charitatis: sic psal. 132. ecce quam bonum, & quã iocũdũ. pax dulcis, bellum asperum. 23. q. 1. c. noli. quod autẽ hodie pax nõ sit inter homines, plura sancti doctores assignant 1. quia non puniuntar maleficia, propter illud Eccles. 8. 2. abundantia temporalium. ex Gen. c. 13. 3. quia non pugnamus, nec occupamur in pugna contra demones, ideo non pugnamus ut homines. ex 5. Ephes. Quarto, quia non consideramus damna belli, in quo animam, corpus, & res perdimus, cũ silicet bellum iniustum est. Quinto, quia non considera

mus, quam dubius sit euentus litis, utrumque patet. ij. Reg. xi. vi. quia non seruamus praecepta Dei. Baruch. iij. nihil in mundo dulcius pace, imo. sine pace nihil dulce licet pax uera in hac uita haberi non possit, cum continuo sit nobis aduersus demonem, & carnem pugna. non enim est melius pace, non optabilius, aut praestantius pace ad Deum. Eccellentissimum, & summũ bonũ est pace cũ Deo habere: sicut è contra maximum malum, pacem cũ Deo habemus per solum Christum, pax Christi est remissio peccatorũ, Pax toti terrae est necessaria, praecipue Italiae. Andr. in c. i. de pac. ten. quia pax subditorum interest reip. ff. de offic. pres. l. congruit. unde quilibet debet intendere omni tempore paci reformandae. spec. de arb. §. viij. plura addit bal. de pac. const. &c.

De reprehẽsione superbiæ, siue arrogantiæ. Cap. XXXVIII.

PAx sui cultores in summa tranquillitate conseruans, rebus proprijs gaudere permittit, & omnium negociorum copia feliciter abundare concedit, cuius lenitate rancoris procella compescitur, cuius dulcedo tyriacæ remedium superans, odij iam senescentis azonita refrenat, sed superbiae tumescentis iniquitas totius

tius

tius discordiæ litigia suscitat, pacis, ac quietis bonum commune perturbat, & quos sua peste commaculat ad diabolicæ ruinæ præcipitiũ ducit, ideo sequitur uidere de superbia, seu arrogãtia, qua rusticorum nihil est arrogantius, qui garrulitatem authoritatem putant, & parati ad lites in subiectos tumide intonant, quod ex arrogantia superbiæ peruenire manifestum est. 46. di. in princ. ubi inquit Grat. quod habet hoc proprium doctrina arrogantium, ut humiliter nesciant inferre, quæ docent, & recta, quæ sapiunt, etiam rectè ministrare non poßint, rectè autem hijs per prophetam Dominus dicit, uos cum austeritate imperabitis, & cum potentia, cum austeritate enim, & cum potentia imperant, qui subditos suos non cum tranquillitate ratiocinando corrigere, sed aspere inflectere dominando festinant: at contra doctrina uerò tanto uehementius hoc elationis uitium fugit per cognitionem, quanto ardentius suorum uerborum iaculis ipsum magistrum elationis sequitur, caueat enim ne eum elatis moribus prædicet, quem in cordibus audientium sacris sermonibus insectatur. In arrogantiam autem, quæ est ruina diaboli incidunt, qui in punto horæ uecdum discipuli magistri efficiuntur, cum miserum sit magistrum fieri, qui nondum didiscit esse discipulus. 48. di. in c. pr. infi. suis terminis igitur quisque contentus sit, nec supra mensuras sui iuris affectet au

geri.7.q.i.cap. si quis episcopus, & melior est in malis factis humilis confessio, quam in bonis superba gloriatio xi.q. 3. c. iniustum iudicium. & si quis desiderans sese extollere, atq; exaltare, non obediat episcopo, quærens etiam obumbrare merita episcopi simulata affectione doctrinae, aut falsae humilitatis, is à uerò deuius supbit, quoniam ueritatis ea regula est, ut nihil faciat commendandi sui causa, quo minor alius fiat, neq; si quid boni operis habeas, id ad reformationem alterius, & u tuperationem exerceas, non defendas improbam causam, & sancta indigno committenda non arbitreris, neque iterum arguas, & impugnes, cuius crimen non deprehenderis. ead. di. c. si quis uerò. absit enim hoc à fidelibus, hoc sibi uelle quemquam arripere, unde honorem fratrum suorum minuere quantulacumq; parte uideatur, nec sibi debitum subtrahat, cum alteri honorem affert indebitum. 99. di. c. nullus. & in c. si. Gregor. inquit: Ego non uerbis quæro prosperari, sed moribus, nec honorem esse deputo in quo fratres meos honorem perdere recognosco, tunc ergo honoratus sum in singulis, cum per me quibuscumque honor debitus non denegatur recedant ergo uerba, quæ ueritatem inflant, & charitatem uiolant. & quorum libertas pernitiosa est, sit salutifera seruitus, qui superbire uolunt adepta libertate proditi, discant obedire subie-

cti. 12. q. 2. c. octaua; contundi debet contumacia, & in omnibus frangi. 15. q. 7. c. siquis tumidus: nam iniuria iniuste irrogata eius est opprobrium, qui facit, nec enim ullo modo ad opprobrium coacta uoluntatis trahitur, quod illicita conditio necessitatis extorsit. 22. q. 4. c. inter cætera, cum etiam minores meos, quos ab illicitis prohibeo, in bono imitari paratus sum, inquit Greg. in c. de constantinopol. 22. di. Stultus enim, ac superbus est, qui in eo se primum existimat, ut bona, quæ uiderit discere contemnat, vnde nullus episcopus propter opprobrium senectutis, uel nobilitatem generis a paruulis, uel minimis eruditis, si quid forte est utilitatis, aut salutis inquirere negligat: qui enim superbe, ac rebelliter uiuit, & discere, atque agere bona recusat, magis diaboli, quam Christi membrum esse ostenditur. 38. di. c. si, sicut certa fax accensa sibi quidem detrimentum præstat, alijs uerò lumen in tenebris administrat. 25. q. fin. cap. fin. Vnde Aug. senex, à iuuene, & à collega episcopus tot annorum nondum anniculus paratus erat edoceri, quia poterit unius forsitan, & deterioris sententia, & multos, & maiores in aliqua parte superare. C. de ueter. iuriscon. enucl. leg. 2. finemque, nam ubi publica tractatur utilitas,

etiam si minor iudex ueritatem inuestigauerit, nulla maiori iniuria irrogatur. C. de offic. rect. prou. l. potentioris. hinc inquit Alex.

Alex. *Subsannans omnes cunctis supereminet una*
Dedignata parem fragrante superbia uultu:

Et secundum Bennar. omnis superbus intollerabilis est, habitus eius est superfluus, affectus pomposus, ceruix erecta, truces oculi, de loco superiori decertat melioribus se priori affectat, suas sententias, & facta iactat, & in obsequio reuerentiam non seruat. sicuti testatur Anticlaud. His uersibus.

Anticlaud. *Ianua peccati, uitiorum, mater, origo*
Nequitiæ, semen odij, uenatio pugnæ,
Quæ cadit ascendens elata, perit peritura,
Erigitur, promota ruit, ruitura tumescit.
Quæ se ferre nequit, supra se lata, ruinam
Infra se patitur nec sese substinet, imo
Mole sua præmitur, proprio sub pondere lapsa
Extra se cogit hominem, sequerere, dum se
Exit homo, fact usq; sibi conntrarius à se
Discrepat, oblitusq; sui, ea nescit, & ultra,
Transgrediens adhuc, quae sit, plus esse laborat,
Quod sibi metitur, falsum uenatur honorem,
Haec pestis rectum uiolat, deturpat honestum,
Fermento uiciat, iustum fugat, utile perdit,
Haec saliunca rosas, haec nubes nubilat astra.

Quid superbis cinis, & terra, nescis, quia nihil Deo odibilius superbia, per hanc pulcherri-

mus creatus cecidit ab alto, unde cauit eccle-sia. disperſit ſuperbos mentis cordis ſui. ex hoc eam quidam doct. diffinierunt, quòd ſit animi tuimor, quo Deus contemnitur, proximus deſpicitur, & proprio appetui ſuper rationem tempe ratur. uel inordinatus appetitus proprie eccel-lentiæ. & legitur. Iac. 4. Deus ſuperbis reſi-ſtit. &c.

Quæ forma ſit tenenda in docendo, qualisq. debeat eſſe doctor, & de commendatione diuinę ſcripturæ, & eccleſiaſticæ dignitatis, & totius ſcientiæ. Cap. XXXIX.

POſtquam dictum eſt, de ſuperbia, quae cum ſecum deſiderat nullis alijs concordã tiae, fœdere counitur, quae ſuae prorſus conditionis ignara ſe ſupra alias uirtutes extollit, nec quod eſt ſibi proprium reperit, nec ad quod alijs tenetur obſeruat, & propterea mirabile di ſcenſionis obſtaculis ſe, caeteroſq; ſatis imprudenter impugnat, quia mentes inſolentium ſci entiæ tumor erigit in exceßum, magiſq; ſub dog matis exhibitione delinquunt, quam per reli

quos actus, alios, quos inflat arrogantiæ fallacis scientiæ, quæ debet potius ignorantia nuncupari, quæ cum sit cæca, nequit alijs lumen ueritatis ostendi. 37. di. c. fi. ideo remouetur rectè si uera, honestaq; doceantur, unde conuenienti ordine sequitur uidere, quæ forma sit tenenda, in docendo, uel discendo, qualisvè debeat esse doctor, & de commendatione diuinæ scripturæ, & ecclesiasticæ dignitatis, totiusque scientiæ. Vnde clemens in ead. dist. c. relatum, uult ab eo esse discendam scientiam scripturarum, qui eam à maioribus secundum ueritatem sibi traditam seruat, & ut ipse possit eam, quam rectè suscepit, competenter asserere, ita tamen, ut ubi uera didiscerit, falsa, & dissimulata declinet. quia imperitia doctoribus, ut alleg. c. fi. dicitur, semper aduersa esse debet, quoniam cum per ignorantiam cæcitatis alijs ducatum præstare cepe runt, ambo in foueam cadunt: non enim est consequens, ut continuo erret quisquis, si aliquid nescit, sed si quis existimet se scire, quod nescit, pro uero quippè approbat falsum, quod erroris proprium est, interest tamen in qua re, quis erret, sunt enim quædam, quæ nescire melius est, quam scire. 38. di. c. quamuis errare. quia nobis necesse est, nè prioris uitij materiam relinquamus, & ipsam regulam è medio tollere, nè per nimiam subtilitatem uerborum, latitudo, & interpetratio uerborum sit quomodolibet

impedita c. ut ab her. & conte. her. l. pr. quia cum una radice uitium nascitur, consequens est una lege tollatur. C. de nupt. l. si libet. ideo sciãt sacerdotes, & doctores ecclesiae sacras scripturas, & canones, & omne opus eorũ in praedicatione, & doctrina consistat, atq; aedificẽt cũctos, tam fidei scientia, quã operũ disciplina. ead. 38. di. c. pr. in fi. cum omnis modus poeticae loqutionis, omnis splẽdor rethoricæ eloquẽtiæ quaelibet uarietas decore pronunciationis ornata à diuinis scripturis sumpsit exordium. 37. di. c. legimus uers. deinq; & in uers. seq. omnis ratio supernæ sciẽtiae, uel terrenae creaturæ in eo est, qui est caput eorum, & actor, ut qui hunc nouit, nil ultra quaerat. quia hic est perfecta uirtus, et sapientia, quicquid alibi dicitur, hic perfecte inuenitur, qui enim Christum nouit, thesaurũ sapiẽtiae inuenit, quod utile est. & sicut stellas cœli non extinguit nox, sic mentes fideliũ inherẽtes firmamẽto sacrae scripturæ nõ obscurat mũdana iniquitas, quia ea quæ Dei sunt sapiũt à Domino sapiũtur, & qui ea, quæ Dei sunt, nesciunt, à Domino nesciuntur Paulo attestante, qui ait, si quis ignorat, ignorabitur, idem quicumque stultus est in culpa, sapiens erit in pœna. 38. dist. cap. sicut. & capit. qui. de quo plura refert de pœnit. in lib. pr. C. de stud. lib. vrb. Ro. lib. xi. et in l. omnes. col. 6. C. de decur. lib. x. quia dicit Dominus per os. proph. c. 4. Tu sci-

entiam repudiſti, & ego te repellam, ne ſacer dotio fungaris. ead. di. c. omnes. in fin. Unde meri to inquit ſcriptura. mat. 15. ſi cecus ceco duca tum praeſtet, ambo in foueam cadunt. ut in all. ſupre. c. quae ipſis. & nihil inter homines ſic eſt indubitatum, ut non poßit, licet a iquid ſit ualde iuſtißimum, tamen ſuſcipere quamdam ſollicitam dubitationem, ut in auten. de tabb. circa med. & quatenus per omnia Dei cultura maneat undiq; incorrupta omnes ſtudeant in om nibus ea, quae ſacris regulis continentur, quas noſtra ſequitur lex ad effectum perduci procu- rare. in auten. de mon. in fi. nam nemini ue- nit in dubium, quod repetita lectio confirma- uit, hoc ſatis ualidum, ſatiſq; eſſe formoſum. C. de iuſti. cod. confir. confi. cum illis, qui litte- ras ſunt ignorantes, facilis eſt, & inconuincibilis denegatio hominum, quae prauitate ſequuta ſunt. in auten. decoll. circa med. ſic dicit Im- per. in conſt. ff. §. nos uero ignorantiam miſer- rimum quid iudicantes, legitimos theſauros ſcientiae uolentibus aperimus, quibus per ſum mam prudentiam quodammodo euogantis ditiſ ſimi legum oratores efficiantur, & in l. pr. §. & ut plenius: C. de rei uxor. acti. ita enim imperi tia hominum, & ruſticitas nil eis poßit afferre praeiudicium, cum nos illis ignorantibus, & ne- ſcientibus noſtram inducimus prouidentiam: nec enim ætas ulla dicitur ſufficiens, ut etiã aliquid

discere non possit,nã ego discendi cupiditate(dicit Iurisconsultusin l.apud Iuli.§.i.ff. de fideic. liber.) quam solam uiuendi rationem optimã, in octauum septuagesimum annum ætatis duxi, memor sum eius sententiæ,quam dixisse fertur philosophus, & si unum pedẽ in sepulchro tenerem,addiscere quid ue llem.cum ciuilis sapientia sit res sanctissima, quæ pretio nummario non est extimanda, neque dehonestanda. ff. de nar. & extra. cogn. l. §. est quidem ideo nullus manebit, qui non audiat legem, quæ neque in paupertate uiuere,nec mori in anxietate permittit in auten. de her. & falci. §. ult. nam rudis animus studiosi simplicibus enutritus, facilius ad altioris prudentiæ redigetur scientiam. cap. de uet. iur. enucl. l. i. circa fi. & ad portandam tantæ sapientiæ molem non sunt idonei homines rudes, & qui in primis legum uestibulis stant, atque ad archana eorum properant aliam mediocrem eruditionem præparandam ordinatur, ut sub ea colorati, & quasi primitijs omnium imbuti possint ad penetralia eorum intrare. eod. tit. l. tanta. §. sed cum prospeximus. sic etiam ipse Imperator. Inst. de leg. §. sed ne imprimis. ubi ne in primis legum cunabulis permisceri exponendo de hijs studiis adolescentibus quandam interdicimus difficultatem, operæprecium quã esse duximus interim seperatim &c. quia magis ue-

ritas oculata fide, quam per aures animis hominum infingitur, neceßarium est prius narrationem graduum, etiam eos presenti libro inscribi, ut posśint & ex auribus, & ex oculorum inspectione adolescentes perfectisśimam graduum doctrinam adipiscicum, grammaticos tam græcos, quan latinos, sopistas, & iuris peritos profesśionem suam exercentes, & inter statutos connumeratos, si laudabilem in se probris moribus uitam eße monstrauerint, si docendi peritiam, facundiamque dicendi, interpetrandi subtilitatem, copiam differendi se habere patefecerint, & cætu amplisśimo iudicandi digni fuerint extimati, cum ad. 20. an. obseruatione Iugi, & sedulo docendi labore peruenerint, placuit honorari, & hijs, qui sunt ex uicaria dignitate connumerari. c. de profes. qui in urb. const. l. i. li. xij. & ea, quæ ad beatisśimæ Ecclesiæ iura pertinent tanquam ipsam sacrosanctam, & religiosam Ecclesiam intacta conuenit uenerabilem custodiri ait, sicut ipsa religionis, & fidei mater perpetua est, ita eius patrimonium iugiter seruetur illesum. C. de sacr. sant. Eccl. l. iubemus. §. i. nec in eis licet laicis statuendi praeter Romanum Pontificem habere aliquam potestatem, quos obsequendi manet necesśitas, non authoritas imperandi. xcvi. dist. c. bene quidem. Cum maior in spiritualibus, tam

prouidentia, quam idoneitas, & authoritas requiratur, quod maiori conceditur, licitum esse uidetur & iam in minore. qui fil. sint. leg. c. per uenerabilem fortius est, quam spiri tuale uinculum, quã carnale. c. inter corpora. de transf. prel. quia duo sunt, à quibus principaliter hic mundus regitur, authoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas, in quibus tanto grauius est pondus sacerdotum, quanto etiam pro ipsis rebus hominum in diuinis sunt reddituri examine rationem. di. 96. di. c. duo sunt. Sicut sunt uersus.

Gratia, quæ doctos prædicat, prodiga largos,
Vult possessores, & dedignatur auaros.
Clausa perit, diffusa reddit, nisi publica fiat,
Labitur, & multis uires acquirit eundo.

Sic Tullius sapientia est nobilis possesʃio, quæ praetio numulario extimari non potest, hæc per partes distributas suscipit incrementum, & auarum dedignata possessorem non publicetur, elabitur, ueritasque secundum Sen. patet in omnibus non dum occupata, multum ex illa, & futuris relictum est in eodem, quærit canis leporem, ciconia lacertam, cum nondum nequitia in tantum subrexerat, uectam late se spanserat, poterant simplicibus uitijs simplicia obstare remedia, nec tanto necesse est operosa

esse monimenta, quanto uehementiora sunt, quibus petimur sicuti describit Anteclaud.

Ars, quæ sola fide gaudet, gaudet subnixa, nec arte

Ante Claud.

Nititur humanæ flugiens rationis asilum
Ista docet cæleste sequi, uitare caducum,
Viuere lege poli, sursum suspendere mentem,
Fastidire solum, cœlum consendere mentem,
Corporis insultus frenare, repellere luxus
Carnis, & illicitos rationi subdere motus.

Nec est philosophia (ait idem Sen.). populare artificium, nec obstentatio imperatum uel turbis, sed in rebus est, animum format, & fabricat, uitam disponit, actiones regit, agenda, & committenda demonstrat, alie artes ad ingenium totæ pertinent, hac animi negocium geritur, antiqua sapientia nihil aliud, quā facienda, euitanda præcepit, & tunc longe meliores erant uiri persona, quam docti prodierunt, desunt boni, simplex enim, & aperta uirtus in obscuram, & sortilegam scientiam uersa est. docemus quoque disputare, quemadmodum omnium rerum. sic litterarum in temperantia laboramus, in superuacuis sublimitas teritur, inuenißemus necessaria, nisi superuacua quæreremus, quid retorques, & maceras in ea q. quam subtilius est concepisse, quam soluere. Vnde Boet.

Felix, qui potuit, fontem uisere lucidum,

Felix, qui potuit gauis terræ soluere uincula, Boet.
Felix, qui potuit rerum cognoscere causas,

Cui subiunxit Vergil.

Atque motus omnes, & in exec rabile fatum Verg.
Subiecit pedibus strepitumque Acherontis auaris.

Et si Aristoteli credimus nullum magnum ingenium sine mistura dementiæ fuit, non potes grande aliquid, & super cæteros loqui nisi mota mens, cum uulgaria, & solita contempsit, in stricto sacro surrexit excelsior, non potest sublime quicquā, & in arduo positum contingere, quam dici apud se est, desistat, oportet à solito, & efferatur, & mordeat frenos, & rectorem suum eo ferat, quo per se timuisset ascendere. ut est testis. Iuuen.

Numquam natura aliud, aliud sapiētia dicet. Iuuen.

Artes enim (authore ipsomet Sen.) seruiunt: sapientia imperat, artes ministræ sunt, sapientia domina, & rectrix est, unde quatuor sunt artium genera, quædam lubricæ, quæ ad uoluptatem oculorum, & aurium tendunt: quædam uulgares, & sordidæ, ut opificum, quæ manu constant, in quibus nulla honesti similitudo est: quædam pueriles, ut liberales, quædam utiles, & liberæ, quibus animæ uirtus est, sapientia est perfectum bonum menti humanae, uel diuinorum; & humanorum sciencia, uel studium corrigendae mentis, uel

appetitio rectæ rationis; philosophia est amor, & affectio sapientiæ, hic ostendit, quo illa peruenit: sicut inter auaritiam, & pecuniam, interest, cum illa cupiat, hæc concupiscatur, sic inter philosophiam, & sapientiã, hæc enim illius affectus praemium est, quidam philosophiam studium uirtutis dixerunt; ut haec peteretur, illaque peteret, cum nec philosophia uirtute, nec sine philosophia uirtus, philosophiae tres sunt partes, moralis, naturalis, & rationalis, prima cõponit animũ, secunda rerum naturam scrutatur, tertia proprietates uerborum exigit, & structuram, & argumentationes, ne pro uero falsa subrepant: quidam quartam partem addiderũt ciuilem, quia propriam quendam exercitationem desiderant, contra aliquam naturam occupantur: quidam hijs adiecerunt administrandae rei familiaris scientiam, Moralis autẽ in tria diuiditur, ut prima sit inspectio suum cuique distribuens, & extimans quanto unumquodque dignum sit; quid enim tam necessarium, quam pretia rebus imponere. secunda de actionionibus, tertia de impetu, primũ quidem est, ut quãtum quodque sit indecens. secundũ ut impetum ab illa capias ordinatũ, ac tẽperatum. tertiũ ut intra impetũ tuũ actiones, quae conueniant. ut in omnibus hijs tibi ipsi conuenias, quid enim prodest intus extimata habere omnia, sed sis impetu nimis, quid prodest impetus reprehensis

se,& habere cupiditates in sua potestate, si in ipsarum rerum actione tempora ignores, nec scias, quando, quid, & ubi, & quemadmodum agi debeat, aliud est enim dignitates, rerũprae tia, nosce autem articulos: aliud impetus refrenare ad agenda ire; non ruere, tunc enim uita concors sibi est, cum actio non destituit impetum, impetus ex dignitate cuiusque rei concipitur, moralis pars in duas diuiditur, silicet in corporalia, & in incorporalia. Corporalia uerò scin duntur in ea, quae faciũt, & quae ex hijs generãtur, generãtur enim elemẽta. quae secundò quosdã diuidũtur in materiã, & causam omnia mouentem: rationalis hoc modo diuiditur omnis oratio, aut est continua, aut inter respondentem, & interrogantem hanc dialecticam, illam rethoricam appellamus, rethorica uerba curat, & sensus, & ordinem dialectica in duas partes diuiditur in uerba, & significationes, idest in res, quae dicuntur, & uocabula, quibus dicuntur. ad quod faciunt uersus Ouidij.

Omnia deficiunt, nil non mortale tenemus
Pectoris, exceptis ingenij quae bonis.

Et alij Poetae.

Cellula, quae meminit, est cellula deliciarum,
Delitiasque sitit, non tedia ius, ne placere
Illi non oneras, illa uult illa benigne
Tractari, non mole premi, quia lubrica res est,
Et rerum turbae non sufficit.

Ideo sapienter dicebat Sen. solere plus prodesse, si pauca praecepta sapientiae teneas, si illa in promptu, & in usu tibi sint, quam si multa didisceris, sed illa nō habeas ad manum, quicquid frequens cogitatio exercet, aut renouatur, aut renouat, memoriae numquã subducit, quae nihil obliuiscitur, nisi ad quod saepe non respexit, fragilis est memoria praeteritorum, & rerum turba non sufficit, neceße est quantum recipit, emittat, & antiquisſima ueteribus obruatur, cum dicatur, ingeniiq́ue dotes corporis adde bonis. nam ocium sine litteris mors est, quasi, & uiui hominis sepulchrum, sic disce quasi semper uixeris, sic uiue quasi cras moriturus. exemplo inrisconsulti. in l. apud Iulianum. ff. de fideic. libert. nam & diuinus ille Plato nonaginta nouem annos in docendi, scribendiq; laborem compleuit, similiter Cato Censorinus iam senex graecas litteras nec erubuit addiscere, multique potuissent ad sapientiam peruenire, nisi putassent se peruenisse stultum, quia diu non didisceris, non discere tamdiu discendum, quam diu nescias si prouerbio credimus, quamdiu uiuas. Nam & Socrates memorabile nobis reliquit exemplum, qui cum expletis centum, & septem annis moreretur, dixit doleo, quod nunc de uita egredior, quando sapere capi. &c.

De puritate, & commendatione bonorum morum, & quod non loci nobilitas, sed uirtutis, & uere dignitatis honor est merito commendandus.

Cap. XL.

POstquam dictum est qualis debeat esse doctor, & de commendatione scientiæ, ne crederet aliquis quod scientiæ loci, uel generis nobilitate potest quis sibi salutis æternae gratiam comparare, cum sola bonæ mentis integritas, ac uirtutis honestas merito sui quemquam nobilitent, & diuinæ miserationis participes, & dignos efficiant, cum apud Deum non gradus elegantior, sed uitæ melioris actio comprobetur. 23. q. 4. c. sicut eccellentiam, ideo sequitur, uidere de puritate, & commendatione bonorum morum, & de alijs, quia bene si quidem sublimitas tua (ait Simmachus Papa) Ecclesiasticis legibus assueta sub diuini timore iudicij, quae sunt instituenda diffinit, & ad iustitiae cumulum miraculose peruenit, cum sufficienter omnia amplectatur, nec adiectione indigeat plenitudo. 96. di. c. bene quidem, nam si omnia in hoc seculo

tendicata essent, locum diuina iudicia non haberent, superuacuis namq; laborat impendijs, qui solem nititur facibus adiuuare, nec gratiæ plenitudo adiectione humana indiget, nec ullæ requirit commendationis argumenta, c. si omnia. 6. q. pr. nam si sapienti occasionem dederis, sapiētior erit, quia si Dei timorem præ oculis habes, ex fructibus tuis colligitur euidēter, cum opera, quæ facis testimonium perhibent ueritati. c. quod Dei timorem de stat. mon. tunc enim uitæ sobrietas clara est, & affectio honesta non incognita. ff. de adopt. l. nec ei. unde inquit Aurelius. i. c. in l. i. §. hijs. cunabulis. ff. de offic. præt. quod credidit princeps eos, qui ob singularem industriam explorata eorum fide, & grauitate ad huius officij magnitudinem adhibentur, non aliter iudicantes esse pro sapientia, ac luce dignitatis suæ, quam ipse esset iudicaturus. quia sanctæ causæ pondus non nisi perfecto potuisset iniungi: C. de sum. trini. & fid. cath. l. inter claras. & de Pontifice Summo dicimus: quis sanctum dubitet esse, quem apex tantæ dignitatis attollit, in quo si desinit bona acquisita per meritum sufficiunt, quae à loci sublimitate testantur. aut enim claros ad haec fastigia erigit, aut qui eriguntur illustrat. 40. di. c. 2. quia non loci, non generis nobilitate, sed uirtute unusquisque gratiam sibi parat, denique extra paradisum, hoc est in inferiori loco uir factus

est melior, & illa, quæ in meliori, hoc est in paradiso facta est, inferior inuenitur. ead. di. c. illud. & in cap. seq. Loth in ipsa ciuitate peruersa factus est iustus, in monte peccauit, sed ista cur dicimus, cum maiora nouimus. quid enim paradiso iocundius, quid cœlo securius, & tamen homo ex paradiso, & angelus ex cœlo peccando cecidit: cum nō cathedra faciat sacerdotem, sed sacerdos cathedram, non locus sanctificat hominem, sed homo locum, nec qui maior fuerit inter homines in honore ille est iustior, sed qui fuerit iustior ille est maior: ut cap. si. ead. di. nam Iepthe inter uiros sanctos apostoli uoce numeratus meretricis filius est, Esau de Rebecca, et Isaac hyspidus tam mente, quam corpore quasi bonum triticum inter lolium, auenasq; degenerat quia non in seminibus, sed in uoluntate nascentis causa uitiorum est, atque uirtutis. 56. dist. cap. nasci de adulterio. cum ualeat interdictum conuersis pro salute sua mutatio loci, plerumque enim dum mutatur locus, mutatur mentis affectus, congruum est ergo inde etiam corporaliter euelli, ubi quisque praue illecebris deseruiuit, nam locus ubi praue quis uixerit in appetitu mentis appositus, quod semper quisque ibi uel cogitauit, uel gessit. 81. di. c. uidelicet. & ideo primus non ex ordine loci postpositis uitæ meritis faciendus est, quoniam apud Deum

non gradus elegantior, sed uitae melioris actio comprobatur. 23. q. 4. c. sicut eccellentiam, idq; etiam in cap. uenerabilis de praeb. ubi non generis seruitutum nobilitas, uitaeq; honestas gratum Deo faciunt, & idoneum seruitorem, ad cuius regimen non multum secundum carnem nobiles, & potentes elegit, sed ignobiles, & pauperes; eo quod non est personarum acceptio apud Deum. Immo cogitandum est, quo conuenit fieri modo, & quos ad Dei seruitium adhiberi, & utrum liberos solos, aut etiam forte seruos, eo quod omnes simul diuina suscepit gratia praedicans palàm, quia quantum ad Dei cultum, non masculus, neque fœmina, nec liber, neque seruus, omnis enim in Christo unam mentem percipit, quia vir Deo amabilis, ac famosissimus in cõuersatione sua longeuum uita suæ peragens tempus, pollens autem, & animi uirtutibus, & corporis operationibus veneretur, quia magna Dei gratia in eo floret. §. pr. in auten. de mon. Vnde cum reliquis oportet magistratum, & mores creandorum, inuestigare, neq; .n. facilitates, neq; sufficiens ita dignitas est ad fidem, & bona electio, uel uoluntas, & boni mores, & benigniores semper. ff. de tut. & cur. dat. ab hijs. l. scire oportet. §. pr. enimuerò quamuis pauper fidelis, tamen, & diligens contemnendus non est. ff. de susp. tut. l. suspectus. nãque satisdactio propositum tutoris maleuolum

non immutat, sed diutius graßandi iure fami-liari facultatem præstat. suspectus enim puta-tur, qui moribus talis est, ut suspectus sit, fidelitas enim, & diligentia quem suspectum non red dit. Insti. eod. tit. §. fi. unde remouere debemus magis uitia morum, quam uerborum, quia quod neq; contra fidem, neq; contra bonos mores esse conuincitur, indifferenter est habendum. c. illa. xij. di. & bonorum mentium est etiam ibi suas culpas agnoscere, ubi culpa non est: quia sæpe si ne culpa agitur, quod uenit ex culpa: Vnde etiã cum esurimus, sine culpa comedimus, quibus ex culpa primi hominis factum est, ut esuriamus. 5. di. cap. fi. in fi. ideo merito dicunt poetæ. Inui a uirtutis, nulla est uia, nescia uirtus. Stare loco tendit, uelut ignis ad ardua uirtus. quia hu milis, & inertis iura sectari uirtus, per alta ne minem excelsi ingenij humilia delectant & sor dida, magis species rerum, ad se uocat, extollit, sicuti Ouidius testatur.

Excitat auditor studium, laudataq; uirtus Ouid.
Crescit, & immensum gloria calcar habet,
Namq; bonum, quod semper latet, splendore mi
nori
Degenerat, lucetq; magis, si luce fruatur,
Si flos in fructus, in flumine riuus, in undas
Ibit, & in messem pinguis procedet arista.

Virtus igitur (secundum Senecam) in duas partes diuiditur, in contemplationem ueri, &

& actionem , actio namque non erit recta, nisi recta fuerit uoluntas , ab hac enim est actio , pars ergo uirtutis disciplina constat , pars exercitatione, & discas oportet , & quod didicisti confirmes.

De mutatione mundialium rerum, conceptu mundani honoris, fortuna, & fortuitis casibus. Cap. XLI.

CVm multi sint , qui miserabilis ignorantiæ seducantur errore , non per uirtutis semitam ueræ dignitatis , & felicis honoris uestigia prosequentes , sed per mundanæ felicitatis , illecebres , & fallaces , ac cito deficientes honores , qui quos alliciunt , & sollicitudinibus aggrauant ad finalem , quam plures in interitum decipiendo deducunt cum omne quod hic eminet , plus in erroribus afficiatur , quam honoribus gaudeat . tex. in cap. nerui. xiij. dist. ideo de hijs uideamus ad quod inquit Greg. tanto sublimius gloriam tran-

ſeuntis mundi deſpicias, quanto in aduerſis poſitus cogites nihil fuiſſe, quod potuit auferri. 24. quæſt. i. cap. fin. ideo cur diuitias per fas, & nephas quæris, cum adbularis regibus, hereditates captas, alienas opes congregas, quas in momento, cui relicturus ſis, ignoras 37. diſt. cap. nonne uobis. ſcientes quia nihil pœnæ in ſemetipſos manet, ſed curet ſemper naturam multas euoluens mutationes, quas neque prouidere facile eſt, prædicere ſolummodo, & Imperatore ſequente Deum gubernare, mediocriter, & manſuete ualente. §. fin. in auten. ut omn. ob. nam diuinæ res perfectisſimæ ſunt, humani uerò iuris conditio ſemper in infinitum decurrit; & nihil eſt in eo, quod ſtare perpetuo poßit, multas etenim formas edere natura nouas deproperat. C. de uet. iur. enucl. l. tanta. §. ſed quia. quid enim quæſo erit tam ſtabile inter homines, ut nullam patiatur mutationem, cum ipſa quodammodo corda noſtra ſub perpetuo motu conſiſtant, & nihil eſt, quod perpetuo ſtare poßit: §. ut autem. in auten. de non alien. aut permut. & ſi de pecunia loquimur, inquit Imper. Ipſius pecuniæ, in qua robur omne patrimonium ueteres poſuerunt, uſus nix diuturnus.

nix continuus, & stabilis est, quo facto intercedente pecunia ad nihilum patrimonia decuntur. C. de admi. tut. l. lex quæ tutores. Unde sæpe quidam suo iure lapsi esse uidentur propter potentiam aliorum, uel sua imbecillitate, uel alios quoscumq; cum sortes humanæ multæ sunt, quæ nec dici, nec mutari possunt. c. de prescr. 30. an. l. fi. quia cura sollicitudinis solet excrescere cum honoris augmento: quia omne quod hic eminet, plus in oneribus afficitur, quam in honoribus gaudet. cum augmentum patrimonij laboribus, & multis casibus quæratur. c. arbi. tul. l. si defunctus. immo sæpe de facultatibus suis. amplius, quam in hijs est, sperant homines: Inst. qui man. non pos. §. infra. hinc fortuitos casus nullum hominum consilium prouidere potest. ff. admi. tu. ad qu. per l. 2. §. si eo tempore, & dicit Ulpi. in l. quæret. ff. de uerb. sign. quod id, quod fataliter accessit, damnum iniungere non debet. cum mala non sint (secundum Sen.) quæ nec crimine mentem implicant, nec conscientiam ligant: Unde paupertatem, & ignobilitatem, ægritudinem, & mortem, quae semper humanae conditioni sunt proxima, nemo sapiens mala dixit, nec in malorum sorte numerauerit: propter illud Claud.

Claud. Desinat elatis quisq; confidere rebus:
Et uideat, nè quis nimium sublata secundis

Colla gerat.

Sic & Vergilius. Verg.

Nescia mens hominum fati, sortisque futuræ:

Atque ad idem Iuuen.

Et seruare modum rebus sublata secundis, Iuuen.

Et genus humanum damnat caligo futuri.

Hæc enim est natura humana, ut infelicitate, & miserijs plena, ab omnibus iudicetur, immo omnes inquietos reddat: iuxta uersus:

Præsentia scire fas homini, solique Deo presci re futura,
Hoc unum præstare potes, quia nulla potestas
Esse morosa potest, quia res fortuna secundas
Imperat esse breues, breuis est distantia loci,
Omnis & mesta nox est, uicina diei,
Viribus absit prorsus habere fidem, mors est, quæ fortia frangit,
Numinibus ne crede tuis, si tempore paruo
Illustre tibi mox sunt clausura serenum,
Nubila fata diem, ducemque crepuscula noctem,
Omnia leta uile tibi sunt dictura qu iescis
Sudabis, rides, flebis, ditescis, egebis
Flores, marcebis eos, uix eris.

Sic Claudianus.

Quid nunc diuitiae, quid fului nasta metalli Claud.
Congeries, quid purpureis effulta columnis
Atria prælatæ iuuant ad sydera turres.

Nam munera ista (authore Sen.) quae for-

tunæ putantur, insidiæ sunt: quisque tutam age
Virg. re uitam uolet, quantum potest ista uiscata beneficia deuitet. huius eminẽtis uitæ exitus cadere est. adiuuaturq; prædicta ex uersibus Lucani.

Lucan. *Inuidia fatorum senes, summisque negatum,*
Stare diu, nimioque graues sub pondere lapsus,
Tolluntur in altum, ut lapsu grauiore ruant,
In se magna ruunt, letis hunc numina rebus,
Crescendi posuere modum.
O faciles dare summa deos, eademque tueri
Difficiles
Insidias ponit semper sors aspera blande,
Anticipat fugam melior fortuna repente,
Ve tibi, uè mortale genus, quid semper ad alta
Niteris, ut lapsu perfidiore ruas.

Expertus enim periculorum (ait Boet.) fortis suæ tirannus regni metus pendentis super uerticem gladij terrore simulauit. inquit namq; Alex.

Alex. *Ne dixeris esse beatum,*
Qui quo crescat, nisi quo decrescere possit,
Augumentum minui: grauius torquentur auari
Amißi memores, quam delectantur habendo.
Non habeat: satius est non ascendere, quã post,

Cum tollerabilius, & facilius sit (secund. Sen.) non acquirere, quam ammittere, atque letiores uidebis, quos numquã fortuna respexit, quam quos deseruit. nam in omni aduersitate fortunæ authore Boet. infelicissimum genus in

fortunij est fuiße felicem. & ponunt doct. in c. pauper. xi. q. iij. ideo sanum est consilium redigere te ad parua, ex quibus cadere non possis, et felicissimus est, dicit Sen. cui felicitate opus non est, potentis, simus qui se habet in potestate: hinc Isid. sæpius uentis agitatum ingens pinus, & celsæ grauiori casu decidunt turres, feriuntque summos fulgura montes, honores secum pericula gerunt, cito periclitatur potestas, cito ruinam patitur, quanto maior honor tanto maiora pericula, alta arbor uentis fortius agitatur, & celse turres grauiori casu procumbunt, altissimi montes crebris fulguribus feriuntur, in potestate, cito cadit inuidia, cito patet insidijs gloriosus, gloria enim inuidiam parit, inuidia periclitat. quæ, ut uult Stat. fata piis, & sors ingentibus ausis rara comes. &c.

De dignitate humanæ naturæ, & præcipue uirilis sexus, ac fauore libertatis, quæ debetur eidem. Cap. XLII.

POstquã breuiter dictũ est de rerũ mundialium casu, & contẽptu mũdani honoris, nec credet aliquis, quod humana natura, cuius status cõditio sub tãta mutabilitate consistit, quã semp

imitatur innata fragilitas, & cuiusdã quasi deceptionis illusio nimia sui uilitate plebescens, suae possit originis infirmitatem causari, dum quantum ad sui creationem sit satis excellens, & propter omnia sit creata. ff. de stat. hom. l. ij. meliusque cognoscetur, si de ipsius humanae naturae dignitate aliqua discurramus: & primum sancitum, quod facies, quæ ad similitudinem pulchritudinis cœlestis figurata est, minime maculetur. c. de pen. l. si quis. hinc iustissime ediles noluerunt hominem ei rei, quæ minoris esset, accedere, nè qua fraus iuri ciuili fieret propter hominum dignitatem. ff. de edil. edict. l. iustissime. ideo absurdum esse uidebatur hominem in fructu esse, cum omnes fructus terræ natura hominum gratia, omne ius comparauit. Inst. de rer. diuis. §. in pecudum. gratia quorum omne ius constitutum. l. ij. ff. de stat. hom. & satis apparet quemadmodum uiris fœminas subditas esse oportet, & penè famulas lex esse uoluerit uxores. xxxiij. q. v. c. est ordo. & cap. seq. cum defendi uxores à uiris, non uiros ab uxoribus æquum sit. Inst. de iniur. §. primo nam in multis iuris articulis deterior est conditio fœminarum, quam masculorum. ff. de stat. hom. l. in multis, idque apparet, quia maior dignitas est in sexu uirili ff. de senat. l. i. licet natura, seruum, & liberum ab initio non discernit, sed liberam hominis fecit prolem. in au-

ten. quom. nat, effic. leg. §. si quis uero: nam iure naturæ omnes liberi nascebantur, nec nota erat manumissio, cum seruitus esset incognita. ff. de iust. & iur. l. manumißiones: cum libertas res inestimabilis sit. Inst. qui manu. non poß. §. fi. ideo multa contra iuris rigorem pro libertate introducta sunt. ff. de fideic. liber. l. generaliter. §. si quis seruo. Imo præcedentes nos dicunt seruitutem superuenientem non procul à morte differre. §. si uerò decretum in auten. de nupt. Vnde Iuuenalis.

Sensum à cælesti dimissum teximus arce, Iuuen.
Cuius egent prona, & terram spectantia, mundi
Principio indulsit communis conditor illis,
Tantum animas nobis, animum quoque mutus, ut nos
Affectus peteret auxilium, & præstare iuberet,
Venerabile soli sortiri ingenium, diuinorumque capaces,
Atque exercendis capiendis artibus aptum.

Sic Aristoteles in iiij. de animal. dociles nos natura edidit, & rationem dedit imperfectam, quæ perfici posſit, & sequitur Ouidius. primo Metham.

Pronaque cum spectent animalia cætera terrã Ouid.
Os homini sublime dedit, cælumque uidere
Iussit, & erectos ad sydera tollere uultus.

Et propter hoc homo inquit Philos. eod. iiij.

libr. inter alia animalia erecti corporis est, quia natura eius est calida, & calor efficit incrementum, secundum eandem uiam est Deus in nobis, hæc sunt commertia cœli.

Sedibus æthereis, spiritus ille uenit.

Cum sacer intra nos spiritus sit (secundum Sen.) bonorum, malorum nostrorum obseruatio, & custos, hic prout à nobis tractatur, ita ipse nos tractat, bonus uir sine Deo nemo est, in uno quoque bonorum uirorum habitat Deus, si uideris hominem intrepidum periculis intactum cupiditatibus, inter aduersa felicem, in medijs tempestatibus placidum, ex superiori loco hominem uidentem, ex æquo Deum, non ne subit te ueneratio eius, non potest tanta res fieri sine adminiculo mentis, noueris homines ad Deos ire, Deus ad eos homines: immo quod est proprium in homines uenit, nulla mens sine Deo bona est: semina in humanis corporibus diuina dispersa sunt, quasi bonus cultor excipit, similia origini produnt: si malis non alias, quam humus sterile, & palustris necant, ac deinde creat purgamenta pro frugibus, & testatur id etiam Anteclaud. poeta in his uersibus.

Anteclaud. Allicit ille celobris, animam caro non sinit esse,
Principij memorem: nec cuius imaginis instar
Facta sit: aut quorum soluta carne reuerti
Debeat, inde hominem subit ignorantia ueri,

Inde est, quod spreta cupimus rationis habena

Quod natura negat, facinusque paratur ad omne,

Non reueretur homo, quod fas, & iura tuentur,
O felix mortale genus, si semper haberet,
Aethereum premente polum, finemque timere.

Corpus itaque (ait Seneca) hoc animi pondus, & pœna est premente illo urgetur, uis liber esse, tamquam migraturus habita, nemo nostrum cogitat, quando sibi ex corporis domicilio est exeundum: sic ueteres inquilinos indulgentia loci, & consuetudo, etiam inter iniurias detinet, nulli nos uitio natura conciliat, illa integros, ac liberos genuit, nè quod auaritiam nostram irritaret posuit. in aperto pedibus aurum, argentumque subiecit calcandum, atque præmendum dedit, quicquid est. propter quod calcamur, & præmimur, illa uultum nostrum erexit ad cœlum; & quicquid magnificum, mirumque fecerat, uideri à suspicientibus, uoluit propter quod Poeta canit. Naturæ odiosa auaritia.

Si ratio subiecta Deo, si mens rationis,
Si caro sit menti subdita, uiuit homo.

Licet aliqui ipsam naturam accusent. contra tex. l. maximum uitium. C. de. liber. pret. &c.

De uitio ingratitudinis, uoluntate prædicandi, reprehensione fallacis astutiæ, & nimiæ simplicitatis. Cap. XLIII.

CVm delinquendi uoluntas, ac fallax persitatis astutia mentes humanas decipiat, & sic iniquitatis offuscantur ineptus, ut a sua nobilitate degeneret contra diuinam clementiam, quæ puram cuilibet tribuit animam, piaque ueneratione disposuit sibi subditos fore pudicos, pacificos, & modestos, ut in prob. Decr. in princ. ingratitudinem committentes uariorum criminum deturpatione fœdantur, ideo præstat aliqua & de ingratitudine dicere, quam Persarũ Reges pessimũ uitiũ reputarunt. Vnde dicitur. Mus in pera, ignis in sinu, serpens in gremio, male suos remunerãt hospites, qui enim serpentẽ in sinu suo nutrit, percutitur ab eo, tales inuenietis uobis hospites, quales nobis esse uultis. xiij. q. i. c. i. in fi. hinc est tex. quod si manumissori tuo uim, & audaciam obiecisti ei, qui te ex beneficio suo ex seruitute liberando, ut aduersarium te haberet, fecit, Præses prouinciæ quatenus

tenus cohercere huiusmodi temerariam licentiam debeat, extimabit l. si manumissori. C. de obseq. patr. nam si manumissus ingratus circa patronum suum extitit, & quadam iactantia, uel contumacia ceruices aduersus eum erexerit, aut leuis offensæ contraxerit culpam, à patrono rursus sub imperio, dicioneque mittatur filijs etiam, qui postea nati sunt, seruituris, quia illis delicta parentum non nocent, quos ortos esse constiterit, dum libertate illi potirentur. C. de lib. & eor. lib. l. si manumissus, sic idem imperator. in auten. ut lib. decr. §. quin etiam. suo modo patiemur manumissorem, qui æqualis patitur, quæ libertus factus ab eo aliquid pati maligunm, aut iniurias forsitan asperas, & indecentes, seu plagas, aut maxima intollerabilia sustinere dispendia, & quoniam multæ inter fratres adinuicem sunt factae cõtentiones, illum solum tamquam ingratum contra fratrẽ effectum participare lucrum non conceditur, qui mortem uoluit fratri, aut criminalem inducere contra eum inscriptionem, aut substantiæ ei properauit inferre iacturam. §. ingratitudinem. in auten. de nuptijs. Vnde meminisse oportebit eum, qui testem inofficiosum improbè dixit, & non obtinuit, id quod in testamento accepit, perdere, & à fisco uendicari, quasi indigno ablatum. ff. de inoffic.

S

testa. l. Papinianus. §. meminisse.: cum iura uoluerint eadem seueritate uoluntatem sceleris, quem effectum puniri. C. ad l. Iul. maie. l. quisquis: nam ex quo sceleratißimus quisq; consilium cœpit, exinde quodammodo sua mente punitus est. eod. tit. l. fi. Cum crimen contrahatur, si uoluntas nocendi intercedat, cæterum ea, quæ improuiso casu, potius, quam fraude acciderint, facto plerumq;, non noxæ imputandum. C. de sic. l. i. & eo tempore, quo quis propter facinorum suorum cogitationem iam de sua pœna certus esse poterat, multo plus cogitatione, & conscientia delictorum, quam damnatione ius dandæ libertatis ammisit. ff. qui. & à quib. l. quæsitum. cum maleficia, uoluntas, & propositum delinquētis abstringat. ff. de furt. l. qui iniuriæ. in princ. sic enim est statutum, quod sollicitatores alienorum nuntiorum, itemq; matrimoniorum interpellatores, & si effectu sceleris potiri non possunt, propter uoluntatem perniciosæ libidinis extra ordinem puniuntur. ff. de extraord. cri. l. prima, etenim superuacuam subtilitatem posteritas obtinuit rationibus, usu non facile suscepit, nec inextricabiles circuitus laudauit. l. com. del. l. pr. ex quo uult Diuus Hieron. quod quis habere debet simplicitatem columbæ, ne cuique machinetur dolos, & serpentis astutiam, ne

aliorum supplantetur insidijs, quia non multum distat in uitio uel decipere, uel decipi posse. 16. q. 1. c. si cupis. Vnde quædam ambiguitas simplices animos mouet. C. de ind. uid. l. lege hinc est praesumptum ea mancipia, quæ rudia sunt, simpliciora esse, & ad ministeria aptiora, & docibiliora. ff. de edil.edict. l. præcipiunt: & proprie de ingratitudine sunt versus.

Est aliqua ingrato meritum exprobare uoluptas,
Si nego, dissimulo, non reddo, non reminiscor,
Quod mihi contuleris, ingratus tunc tibi fio.

Ingratus enim authore Seneca beneficia extenuat, liberalitas uero dilatat, & auget, nam sapiens exhornat beneficium, & sibi ipsi commendat, & se assidua eius commemoratione delectat, multa sunt genera ingratorum, ingratus est, qui beneficium se accepisse negat, quod accepit, ingratus est, qui non reddit, ingratus qui dissimulat ingratissimus est omnium, qui est omnium oblitus beneficiorum, sic versus.

Promeruit pœnas peccandi sola uoluntas,
Nam scelus mira se coactum, qui cogitat ullum
Facti crimen habet.

Nam etiam ante effectum operis, quantum ad culpam omnia perfecta sunt, ò felicem illum inquit Sen. qui nõ tantũ factũ, sed etiã cogitatũ

emendat, quicquid pudet dicere, pudeat etiam cogitare; prodest sine dubio custodem sibi imposuisse, & habere, quem respicias, quam interesse cogitationibus tuis iudices, aliquis uerbosus eligendus est, ac semper ante oculos habendus, ut sic tamquam illo spectante uiuamus, & omnia tamquam illo uidente faciamus: ò felicem, qui sic aliquem uereri potest, ut ad memoriam sine ullius adiutorio exierit, feceritq; sibi ipsi uiam, quidam indigent ope aliena, non ituri, si nemo præcessit, se bene sequuturi. Tertium genus est eorum, qui cogi ad rectum, compelliq; possunt, quibus non tantum duce opus est, sed etiam adiutore, & ut ita dicam exactore, sed melius esset dictum Poetae considerare, in quo magis Deus timetur.

Cum quid turpe facis, aliquo spectante rubescis,
Cur spectante Deo non magis ipse rubescis:

Ideo sic uiuendum est tamquam, & cui uiuamus sit cogitandum, tamquam aliquis impetus intimum prospicere possit, & potest, quid enim prodest ab homine aliquid esse secretũ, nihil Deo clausum est, interest animis, & cogitationibus nostris interuenit: Vnde Boet. magna uobis est dissimulare non uultis indicta necessitas probitatis, quando omnia cogitatis ante oculos iudicis cuncta cernentis. hinc dicit Claudianus Poeta.

Claud. Cum premitur Libiae uenantum uocibus ales,
Ridendum uelata capit: Stat lumine clauso,

Creditq; latere, quem non ipsa uidet.

Sic & Iuuenalis.

Patientis namq; reatum uis illata leuat, Iuuen.

Minuitq; coactio culpam.

Est etiam simplicitas mala, ut negligentia, & stultitia, unde reijcitur. c. Petrus. 39. dist. de qua ponit gl. ibi. & in c. si cupis. 16. q. 1. & in c. episcoporum. 74. di. in fi. not. doct. in l. fi. C. de don. aut. nupt. Bar. in l. i. in princ. C. de edil. ac. &c.

De dilectione Reipublicæ, ac propriæ patriæ, & quod per multos melius aliquid procuretur. Cap. XLIIII.

POstquam dictum est de ingratitudinis uitio, quæ Deo simul, & hominibus facit hominem odiosum, quia sunt aliae ingratitudinis species, quarum redditur aliquis diffamatione notabilis, illo deterior iudicatur, qui Reip. suaeq; patriae quis nō amplexatur augumenta, cum iuris naturalis authoritas hoc inducat, ut Reip. uel patriae pareamus. ff. de iust. & iur. l. ueluti, pro cuius profectibus mortui uiuere credebantur. Inst. de excus. tut. §. pr. quæ tunc plus augumentatur, cum plures defensores habebit.

cum per multos simul, & fidelius, & tutius res geratur. 81. di. c. in omnibus, ideo de hijs loquamur, cum primum milites nummis, & signis suis iugiter inherentes rempub. à qua aluntur, ab omni bellorum necessitate defendunt c. loc. l. milites. ideo oportet, quæ comuniter, & generaliter, & in omnium utilitatem santiuntur plus ualere, quam ea, quæ contra aliquos studentur, cum publica utilitas sit merito præferenda priuatæ. §. sancimus. in auten. de non ali. re. sic in d. l. ueluti. solis hominibus comune est inter se, ueluti erga Deum religio, ut parentibus, & patriæ pareamus. quod si contrarium acciderit: minime maiores lugendum putauerunt eum, qui ad patriam delendam, parentes, & liberos interficiendos uenit: quoniam si filius patrem, aut pater filium occiderit, sine scelere, etiam præmio afficere omnes constituerunt. ff. de relig. & sumpt. funi. l. minime. & Sceuola patriæ meæ dulcissimæ uolo ad comoda sua dari omnia, quæ habeo l. qui habebat. de leg. 3. & ex hoc dicebat Imperator, quod qui patriam derelinquunt, se impios ostendunt, propterea disciplina castrorum antiquior fuerit Romanis ciuibus, quam charitas liberorum. ff. de capt. l. post liminium. §. filius. cum facilius inueniatur, quod à pluribus senioribus quæratur. 20. di. c. si. & integrum est iudicium, quod plurimorũ sententijs confirmatur. de offic. & potest. iud.

del. c. prudentiam, & ubi maior numerus est, zelus melius confirmatur de electi. c. ecclesia uestra. nec locus quidem insidijs relinquatur, cum sint tot oculi, spectata tot insinuata sensibus, tot insuper locata in tuto manibus c. qui te sta. facer. poss. l. hac consultissima. in fi. nam per ampliores homines perfectissima ueritas reuelatur. l. fi. C. de fideicom. ad quæ accomodantur versus.

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non sinit esse sui,
O patriæ natalis amor sic allicis omnes,
O quantum dulcoris habes.
Dulcior est patrius alieno cespite Cespes,
Nulla quoq; tam nota est miseris, quam proxima terra,
Per uarios casus, per tot discrimina rerum
Tendimus in Latium, sedes ubi facta quietas,
Ostendunt, hijs locus, uerbis erit requies ea grata laborum.

Sic enim patria ab omnibus defendi, eiusq; res in tuto esse, ne nouus insurgat Catilina, ne vè alius obsideat Coriolanus, nā dulcis est amor patriæ, de qua plura fecisse priscos Romanos testantur Historiæ, & nos plura duximus recitanda in nostris fragmentis, ubi quid de nostra patria fuerit, quid vè sit, satis est uidere. &c.

De remuneratione laboris. Cap. XLV.

QVoniam, qui circa commoda publica, suas operas fideliter, & utiliter impenderunt; sunt per Remp. competentibus honoribus extollendi, dignaq; laboris sui remuneratione fouendi, cum uirtutum præmia tribui merentibus satis expediat. C. de stat. & imag. l. & uirtutum, & honoris augumentum labore, uel merito ad unumquemque conuenit deuenire. C. de re mil. l. contra publicam. li. xij. ideo sequitur uidere de remuneratione laboris, nam iustum est; ut illi consequantur stipendium, qui pro tempore suum reperiuntur commodare obsequium. xij. q. ij. c. charitatem tuam, & ecclesiasticis utilitatibus disudantes ecclesiastica dignum est remuneratione gaudere, ut qui se uoluntarijs obsequiorum necessitatibus spōte subijciunt, dignis prouisionibus consolentur ead. q. c. ecclesiasticis, cum ecclesia ad antidota obligetur, c. cum in officijs, de testa. Vnde inquit Apost. pri. ad Cor. 7. quem citat Augusti. in c. iam nunc. 28. q. pr. quod multa sunt facienda non iubente lege, sed libera charitate, & ea sunt nostris officijs gratiora, quæ cum liceret nobis non impendere, causa tamen dilectionis impendimus,

quis militat suis stipendijs unquam? quis plantat uineam, & de fructu eius non edit? quis pascit gregem, & de lacte eius non comedit? cum secundum ipsum, qui altari seruit, de altari uiuere debet, & qui ad onus eligitur, repelli non debeat à mercede. de preb. c. cũ secundum. nec os bouis triturantis alligari debet. eod. tit. c. extirpandæ. quia dignus est operarius mercede sua, & sint consolationum socij, qui fuerant passionum. de sepult. c. i. & in d. l. & uirtutũ præmia tribui merentibus conuenit, ut aliorum honores alijs actiones damnorum fieri non oportet. semper enim Rex prouidet unumquemque secundum labores suos ad meliores gradus, & ad meliores dignitates perducere. C. de offic. pref. pret. afr. l. in nomine. §. iubemus. & is gradualios antecellat, quem stipendia meliora, uel gradus prolixior fecerint anteire C. de offic. mag. offic. l. nemo, & studiorum labor meretur, ut hij, qui in publicis administrationibus constituti sociari sibi consiliorum participes cupiunt, spe præmiorum, atque honorificentia sua prouocent eos, quorum prudentiam sibi putant esse necessariam, non metu terribili, & necessitate incongrua liberali, nec labor sine mercede esse potest. in auten. de iudic. §. ne autem. sic exclamat Claudianus.

Pronus, & in melius gaudens conuerti facta,
Ante uenit tempus, non expectantibus ultro

Munificus magni geminatur gratia doni.
Sic etiam Vrgilius.

Vergil. *Adde quod ingrato meritorum iudice uirtus,*
Nostra perit, quicquid gerimus, fortuna uocatur,
O passi grauiora, dabit Deus hijs quoque finem,
Durate, & uos met rebus seruate secundis,
Forsan, & hæc olim meminisse iuuabit.

Etenim iucundum est laboraße, & laborum meminiße iocundius, cum fortuna uotis sufficienter aspirat, cum curis officiosa respondet, & gratis lenociata blandicijs, temporibus, ac rebus arridet, potius terræ credit agricola, cui non mentitur angelus, & post sudores bonum & suas spiceis comis æstas exuberat Cebealis, & pleno cornu copiam subministrat. iuxta uersus Ficticij.

Fict. *Non prosterneris, solatia si mediteris,*
Cum sat uexeris, quæ capiturus eris,
Hos per sudores magni preparantur honores,
Hæc honerosa dies, hæc erit alta quies
Perficias, non deficias, fructusque laboris,
Sic dabitur præmium, capitur sic dulcis honoris.

Virtutisque præmium honor est, & bonis attribuitur. phi. iiij. Ethi. qui enim uirtutis splendore inquirunt, non sunt uelut incogniti. prætereundi. C. de quest. l. i. li. xij.

De Morte. Cap. XLVI.

Mors cum sit totius honoris, & laboris finalis terminus, quæ licet hominibus brutali sensualitate demersis grauissima uideatur, perfectis tamen, qui mẽtaliter uiuunt, in quibus rationi sensualitas subditur, & ratio ueritati, quorum corda uirtus ardens, quæ semper ducit ardua, reminisci suæ facit originis, ut miseriam mundialem exilij deuouentes totis affectibus patriæ cœlestis incolattus expectent, quæ laxat uincula seruitutis, cuntasque repellit angustias, & cunctorum naturaliter terminus omnia simi liter soluit, ut in aut. de nupt. §. deinceps. de qua semper cogitandum, ideo sequitur ultimo de morte uidere, cui quanto uicinior efficeris, tanto sollicitior, atque timidior esse debes. c. tanta nequitia. lxxxvi. dist. unde in Ecclesi. c. vij. scias, quod omnes moriemur, & omnia quæ de terra orta sunt in terram connertentur, quid terra terram, uendis, memento quod terra es, & in terram reuerteris, & quoniam mors tibi futura est, & properat, & si tardet recordare, quod nõ hominis est terra. relatiue. xiij. q. ij. c. in ecclesiastico. ex hoc animae defunctorũ quatuor modis saluantur, aut oblationibus sacerdotum, aut praecibus sanctorum, aut charorũ

elemosinis, aut Ieiunio cognatorum. curatio uerò funeris, conditio sepulturæ, pompa exequiarum, magis sunt uiuorum solatia, quam subsidia mortuorum. nam lugere, & deplorare, & lamentare eos, qui ex hac uita decedunt ex pusillanimitate contigit, ead. q. c. animæ, & c. ubicumque. præstat enim pro mortuis deum orare, quam lachrimari unde Apost. pr. ad the. iiij. ut in ead. q. c. qui diuina. ait. de dormientibus autem nolumus uos contristari, sicut, & cæteri, qui spem non habent, & dominus non fleuit lazarum mortuum. ut est Ioan. xi. sed ad huius uitæ erumnas resuscitandum: licet humana fragilitas, mortis præcipue cogitatione perturbata, possit minus memoriæ plures res consequi. l. hac consultissima. §. ad hæc. c. qui testa. fac. poss. sic alibi, habeant solatium tristitiæ suæ, quibus est merito consulendum. C. de his qui aut. apert. tab. l. i. & nihil eorum, quæ à natura noscuntur esse producta, respui, cum non absimiles alijs fiant, quos similes natura efficit. C. de legi. her. l. si maior: dies namque fatalis non dubius; sed notus omnibus apparet. C. de temp. appell. l. ij. & nullus hanc legem, duram habeat, tamquam relictis priuatus sed consideret, quod omnibus hominibus terminus uitæ est mors. in auten. de her. & falci. §. ult. & hec lex contra humanæ naturæ uarietatem superuenit, & immota per omnia permanet, & si nihil sit stabile,

inter homines, & ita immobile, ut nullam patiatur mutationem, & omnis noster status in perpetuo motu consistit. §. ut autem: in auten. de non alien. sic in alleg. §. deinceps. finalis terminus, quæ omne similiter soluit, expectat nos mors, ideo statutum est, non esse necesse ornamenta cum corporibus condi, nec quid aliud huiusmodi, quod homines simpliciores faciunt, debet enim haberi ratio eius rei, quæ ultra modum sine causa consumitur. ff. de relig. l. & si quis. §. hæc actio. & §. impensa. cum nemo eum euincat, sed fatum humanæ sortis, ideo laudandus est magis, quam accusandus, qui reliquias testatoris non in mari abiecit, sed in memoriam humanæ conditionis sepulturæ tradidit. ff. de cond. inst. l. quædam, etiam in hoc contrauenien do dispositioni ipsius, & legatum, aut relictum non perdendo, ut ibi & si incertum mors habeat, quamuis incertum fuerit hominem moriturum. ff. de don. caus. mor. l. senatus. de qua cogitandum est etiam posito in bona ualetudine ex humana sorte, si quidem terra, marique tam in pace, quam in bello, tam militiæ, quam domi multis generibus mortis periculũ metui potest, ead. l. §. mortis, cuius deriuatio patet ex uersu Tobiæ.

A morsu uetito mors dicitur omnia mordens,
Nominis exponit notificata sui, Thob.
Viue memor lethi.

Igitur in procinctu stet animus (secundũ Sen.) & quod necesse est, numquam timeatur, quod in certum est, semper expectet, tot praeter domum nostra ducuntur exequi, & de morte non cogitamus, magis corruimur, quia ex opinato ferimur, aufert uim praesentibus malis, qui futura assidue cogitemus tam de nostra, quam de omnium, quos diligimus mortalitate, hoc unum cogita, omnia mortalia esse, & incerta lege hodie fieri potest, quidque numquam potest. cum omnia humana breuia, & caduca, & infinita temporis nullam partem occupantia. sicut testatur Horatius.

Horat. Debemus morti nos, nostraque.

Constatque æterna lege positum, est, ut constet genitum nihil, secundum Boet. & dicebat Sen. in orbe ista tempestas, & sine ductu uastat omnia, nulli cõtigit impune nasci, quicquid cæpit, & desinit, quidque ad uitam editur, ad mortem destinatur, sic Horatius ipse.

Horat. Vitæ summa breuis spetie nos uetat inchoare longam,
Omnem crede diem tibi dedluxiße supremum.

Propterea dicebat Diu. Gregor. longa nostra desideria corrumpit uita breuis, in cassum multa portantur, cum iuxta est quo pergitur. sic etiam Tullius. potest esse quidquam absurdius, quam quo uiæ minus restat, eo plus uiatici quæ

rere. ideo omnia tamquam mortales timemus (teste Sen.) omnia tamquam mortales concupiscimus, magnus animus dat operã, ut in hac statione, qua positus est, honeste se, atq; industrie gerat, cæterum nihil horum, quæ incerta sunt suum iudicat, sed ut commodatis utitur peregrinus. et sic ordinandus est omnis dies, tamquã consumet, atque expleat uitã, crastinum, si adiecerit Deus, leti suscipiamus, satis longa uia data est, si tota bene collocaretur, cũ dicat Vergil. stat sua cuiq; dies, breue, & in reperabile tempus omnibus est uitæ. &c. unde mutare fata non possumus, stant dira, & inexortabilia, nemo illa conuitia, nemo fletu, nemo eam mouet, parcamus lachrimis nihil proficientibus, planctibus defuncta reuocantur: si fors immota, & in æternum defixa, nulla miseria mutatur, & mors tenuit, quidquid abstulit pallida mors, equa pulsat pauperum tabernas, regumque turres, ideo maximum solatium est cogitare id sibi contigisse, quod omnes ante se passi sunt, omnesque passuri, rerum natura, quam grauissimum fecerat, comune fecit, ut crudelitatem fati consoletur æqualitas, quis queri potest in ea conditione, in qua nemo non est, æquat omnes funus, impares nascimur, pares morimur, ad omnia pasciendi pares sumus, nemo altero fragilior

nemo in crastinum sui certior est, omnia quæ uidentur bona esse, mors immatura præcidit, sicut est author Boet. dum inquit. mors spernit altam gloriam, inuoluit humile pariter, & celsum caput, æquatque summis infima, mors dominum seruo, mors septra logonibus seruat, dissimiles simili conditione trahens. & mors est publicus finis generis humanis (secund. Senec.) scopulam esse illam putamus, portus est aliunde petendus, numquam recusandus, mors dolorum omnium exclusio est, & finis, ultra quam mala nostra non exeunt. ideo sapienter est dictum moriantur ante te uitia. nam ex quo pectore metum mortis eieceris, in id nullus rei timor audebit intrare, unde dicitur de Cæsare; quod tantus erat, quantus & orbis, & nunc in modico clauditur antro, potest hoc quisque sciat seruiturum, & non quod nulla mori gloria possit florens imperij gloria quondam. De morte igitur ait Horatius.

Horat. *Desolata suo cessare marcet,*
Abstulit clarum cita mors Achillem,
Longa Thitonum minuit senectus,
Et mihi forsam, tibi quod negauit, porrigit hora,
Viue prius, docuere prius, cole sacra colentem,
Mors grauis à templis in cana busta trahet,
Si licet omne sacrum, mors importuna properat
Omnibus obscuras injcit illa manus
Crimine, quo puri potuere mereri.

Et

Et Seneca nemo cito nimis moritur, quia uictus diuitijs, quam iuxta non fuit, fixus est cuique terminus, manebit semper ubi positus est, nec ullum ulterius diligentia, aut gratia promouebit. Vnde nescius si filio tuo expedierit uiuere, omne futurum incertum, & ad deteriora certius: nam dicebat Ouidius.

Nam mors non grauis est posito morte dolo.

Et omnia quæ secundum naturam fiunt sunt habenda in bonis, quid est tam secundum naturam, quam seuibus mori, quod idem contigit adoloscentibus aduersante, & repugnante natura, itaq; adoloscentes, sic mori uidentur, ut cũ aqua ualetudine flammæ uix opprimantur. Senex autem cum sua sponte nulla ui adhibita consumptus ignis extinguetur, & quasi poma ex arboribus cruda si sint ui euellentur, si natura, & coacta decidunt, sic uitam odolescentibus uix aufert senibus maturitas eademq; hominem conglutinauit, natura dißoluit, sed omnis cõglutinatio recens ægrè inueterata facile diuelletur. sic enim dulce mori Philosophis uidebatur, uide Boet. cum Ouid.

Mors omnium fœlix, quæ se non ducibus annis **Boet.**
Inserit, & mestis sæpe uocata uenit,
Heu heu quam surda miseros auertitur aure,
Et flentes oculos claudere seua negat.
Dulce mori miseris, sed mors optata recedit. **Ouid.**
At cum tristis erit præcipitata uenit.

Ouid. de Tristibus.

Heu miseros tristis fortuna tenaciter urget,
Felix qui patitur, quæ numerare potest,
Optima prima fore manibus rapiuntur auaris,
Incipientur meritis deteriora suis.

Nec ulli (dicit Seneca) ferè, & magis, & diuturna bona contingunt, nō durat, nec ad ultimum exit, nec lenta felicitas, quicquid ad summum peruenit, ad exitum prope est, eripit se, aufertq; se ex oculis perfecta uirtus, unus dies hominum eruditorum plus placet, quam imperiti longissima ætas, non, ut diu uiuamus, curandum est; sed ut bene: longa est uita, si plena est, impletur autem cum animus sibi bonum suum reddidit, & ad potestatem sui transtulit, quid illud multi anni iuuant persertium exacti, non uixit iste, sed fuit, nisi forte sic eum uixisse dicas, quomodo dicuntur arbores uiuere, nec serò mortuus est, sed diu laudemus eum, an quantumcumq; temporis contigit, bene collatum est, sic, & in minore temporis motu potest esse perfecta ætas, quæris, quod sit amplissimum uitæ spacium, usque ad sapientiam uiuere, qui ad illam peruenit, attigit non amplissimum finem, sed maximum. Item multi diu uiuendo portant funera sua, & quasi sepulchra dealbata plena sunt ossibus mortuorum, felix, & omni dignus beatitudine, quem senectus Christo occupat seruientem, quem extrema dies mors parcit, reprobis deflorat florida quippè: uentis erigitur. spene

Roseto iacent, & Ouidius.

Mitius ille perit, subita qui mergitur unda, Ouid.
Quam sua qui timidis brachia iactat aquis.

Et quotidie praeter oculos nostros transeunt notorum funera, & ignotorum, & subitum id putamus esse, quod nobis tota uita denuntiatur futurum, non repentè in mortem incidimus, sed minuatim ad eam procedimus, quotidie morimur, quotidie aliqua pars diminuitur, & tunc quoque cum crescimus, uita decrescit, infantiam admisimus, deinde pueritiam, deinde adolescentiam, usq; ad extremum, quidquid temporis transit, perit, hunc ipsum, quem agimus diem cum morte diuidimus, quemadmodum eclipsi extremum stilicidium exhaurit, sed quicquid ante mortem defluxit, sic ultima hora, qua nos esse desinimus non solam mortem facit, sed sola consumat, tunc ad illam perueniemus, sed diu uenimus, mors non ultima uenit, sed quae capit, ultima mors est, citius mori, aut tardius ad rem non pertinet, bene autem mori est effugere male uiuendi periculum, omne enim humanum genus, & quod est, & quod erit morte damnatum est: unde Tobias.

Rebus incertis nihil est incertius hora Tobias.
Mortis, morte nil certius esse potest,
Vita breuis, finis dubius, mors aeque tremendum,
Iudex, mens super, conscia flere docent,

Non gratis moritur, qui prouocat hostem.

Et Lucanus.

Lucan. *Cum tot in hac anima populorum uita, salusque,*
Pendeat, & caput hoc sibi fecerat orbis,

Alex. *Seuitia est noluiße mori.*
Fortis animi est contemnere mortem,
Non odisse tamen uitam, sed amare uirorum
Degeneres, & quos constat tædere laborum,
Compelluntur ad huc, ut uitam ducere uilæ,
Quid reputent, quid mirum ignauo mors est,
Est quia mori melius, quam uitam ducere mortis,
Cuiq; sua uita nocet, caueat sibi rumpere uitam,
Non nece, sed mortis iure quiescit homo,
Mors ultima linea uerè est.

Et omnis, immo omnia (secundum eundem Sen.) in ultimum diem spectant alium in medio cursu vita desidierit, alium in ipso aditu relinquit, alium in extrema senectute fatigatum, & iam exire cupiētem, in hoc tam procelloso, & in omnes tempestates exposito mari nauigantibus nullus portus est. mors est publicus finis, humani generis scopulū esse illā putamus, portus est aliquando petendus numquam recusandus, mors ut dixi dolorum omnium exclusio, & finis, ultra, quem mala nostra non exeunt, ipsa omnibus est finis multis remedium, quibusdam uo-

tum, hæc seruitutem inuito Domino remittit, hæc captiuorum catenas leuat, hæc in quibus fortuna male diuisit, omnia æquat, hæc quæ nulli non potuit; hæc est quæ efficit, ut nasci non sit supplicium, cum secundum Isidor. det finem miseriæ requies sepulturæ, omnem calamitatem mors adimit, vnde subiunxit Seneca, mors naturæ lex est, mors tributum officiumq; mortalium malorumq; omnium remedium est, optauit illam, quisq; timet omnibus ammißis, hoc unum meditare, ne mortis nomen reformides, efice illam cogitatione multa familiarem, uel si ita tollerari poßis, & illi obuiam exire, cum secundum authoritatem Lucani.

Mors ultima pœna est, nec metuenda uiris. Lucan.

Ideo sæpe causa moriendi est, timidus mori male uiuet, quisquis non sciet bene mori, non in mari, aut in prælio, sed in lectulo uix fortis apparet, pleriq; inter mortis metum, & uitæ tormenta miseri fluctuant, & uiuere nolunt, & mori nesciunt, unde sapienter est dictum à Tobia in hijs versibus.

Mors sola fatetur quantula sunt hominum corpuscula, Tob.
Si quis materiem perpendat originis vnde,
Vnde supercillium tollitur, unde timor,
Est caro, uas luteum, uas detestabile, fœnum

Aridulum, fragilis glebula, saccus olens,
Carnis, uita, labor, carnis conceptio labens,
Menstrua, putredo, finis, origo, lutum,
Sperma prius, modo saccus oleus, post uermibus esca,
In tumulo quaque dote superbit homo,
Es sapiens, marcet sapientia morte te dumnans,
Diuitijs lapsu mobiliore ruunt,
Es probus, expirat probitas, honestus honestas
Labitur, es fortis, fortia morte cadunt,
Mors properat, fuga nulla patet, mortale tributum
Soluere naturæ lege tenetur homo,
Regreditur cinis in cinerem, reuolutio carnis
Monstrat principij materiale bonum,
Heu quid homo, cuius lucem præmit unda Cadauer,
Fero delicias, busta ruina, statum,
Nasceris ergo, cinis eris, incipis esse, teneris
Post non eße, datur uita, uita, tenere mori,
Mors patet in foribus, mors pulsat ad hostia, iustus
Mortis ad euentum carmina læta canit.
Iustus obit, non ob id obit, orbe renascitur astri,
Et iocunda nouum sidera sidus habent,
Non moritur, poterit ne mori, cui fama per orat,
Laus loquitur, redolet fructus, abundat honor?

Vnde dolens testatur homo, canit angelus ex hoc,
Vnde serenantur sidera, luget humus.
Vltima semper expectanda dies, dicique beatus
Ante obitum nemo, supremaque funera debet. Ouid.

Hinc etiam Lucanus.

Longius aeuum destruit ingentes animos, & uita superstes, Lucan.
Affuit, & celeri defuit tristitia fato,
Dedeccori est fortuna prior, quisque ne secundis,
Tradere se fatis, audet nisi morte parata.
Festinata dies satis sat magna peregit
Placido, nam receptat cuncta sinu, finemq; sui sibi cordi debet,
Libera fortuna mors est, capit omnia tellus,
Quod genuit, cœlo tegitur, qui non habet urnam.

Sed prestat illud Vergilij famam extendere factis; quæ morte non deletur, ut testatur Alexander.

Hoc solum releuamen inest, quod gloria mortem
Nescit, & occasum non sentit fama superstes.
Sola mori nescit, eclipsis nescia uirtus,
Licet ingenti abrumperet actus,
Alias possunt allegari uersus primatis, qui in detestationem uitæ sic loquitur.

Diues ait: si nobilitas mea magna quid
Si domus ẽ, & opes, rutilãsq; fortuna qd
Si mihi spõsa decens, & si formosa quid
Si caute uiuat mea chara propago qd
Et si seruorum mihi seruiat ordo quid
Si doceam socios in qualibet arte quid
Si rota fortunæ me tollat ad astra quid
Si felix annis, regenda uerò mille quid
Tam cito pretereunt hæc oĩa quid nihil

Inde.

Cum secundum Isid. si haberes sapientiam Solomonis, si pulchritudinem Absolonis, si benignitatem Eenee, si diuitias Cresi, si potestatem Octauiani, quid prodest tibi, si tandem caro datur uermibus, anima demonibus crucianda cum Diuitæ sine fine: utamur ergo uita sic, ut possimus animam puram redere redemptori nostro, quæ in sinu Abrahæ posita diuina fruatur ui sione, cumque iudex in fine secli uenerit audiamus pro nobis dicere. Venite iusti in regnum patris mei, mercedem laboris reddam uobis, quo perducere dignetur ipse noster Redemptor Christus, apud quẽ intercedat gloriosa semper uirgo eius mater, & nos a mundo abstracti dicamus cum Apostolo. Cupimus dissolui, & esse cum, Christo quia boni gaudent morte quid est eis carceris eductio., hostis deiectio. exilij terminatio, ut scribit Archi. xiij. q. ij. c. quam prepostuerum &c.

F I N I S.

CARMEN AVTHORIS.

HOC *quod finitur ad finem palladicitur*
Nam quicquid situr, notantibus hic reperitur,
Virtutis fructum pariat collectio florum,
Vt quod mens cepit, demonstret regula morum,
Ne me despitias, quia sum breuis, odores,
Ortulus, atque solet producere flores,
Fonticulus fecundus aquis dat sepe fluentum,
Multociens tenuis, arbustula, pomaque centum.

ADuerte lector cădide, omnia hic adnotata, quæcunque fuerint, nos submittimus auctoritati Sanctæ Romanae Ecclesiae, sub cuius clipeo & uiuimus, & adiuuante Deo moriemur mundo, ut cum Christo uiuamus in regno cælorum. Rauelli. die XV. Iulij. M. D. LXX. sub Pontificatu Sanctissimi Domini nostri Pij Papae V. apud quem omnis sanctitas, omnisq; sapientia residet anno quinto scripsi ob promotionem Illustrissimi, & Reuerendissimi I. V. D. Iulij Antonij Sanctorij ad Cardinalatus honorem Domini, & Apostolici singularissimi.

EXPLICIT LIBER ROSARII omnium uirtutum, & uitiorum cœptus à D. Sparano Barensi V. I. doctissimo, nunc perfectus à clarissimo Iureconsulto D. Abbate Paulo Fusco Rauellensi.

